DÆMONOLOGIA;

hoc est,

ADVERSVS INCANtationem siue Magiam, INSTITVTIO, FORMA DIALOGI concepta, & in Libros III. distincta:

Authore

SERENISSIMO POTENtissimoq; Principe, Dn. IACOBO, *Dei gratiâ Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ, ac Franciæ Rege, fidei defensore,* &c.

EX ANGLICO QVIDEM sermone per *Vincentium Meuseuotium* in Belgicum; nunc verò è Belgico in Latinum conuersa, operâ *M. Herman. Germbergii.*



HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium,
MDCIV.


HONI SOIT QVI MAL Y PENSE
DIEV ET MON DROIT

NOBILI, CLARISSIMO,

AMPLISSIMOQ; VIRO,
Dn. IOHANNI à GLAVBVRGO,
I. V. Doctori, omni virtutum genere
præstanti, patricio Francofurtensi
ad Mœnum, amico veteri fautorique singulari,

S. P. D.

TAMETSI *literarum non modò sacrarum, sed & prophanarum, cum testimoniis euidẽtissimis, tum exemplis luculẽtissimis manifestissimum sit, Sagas, Incantatores & Præstigiatores in mũdo semper aliquos fuisse, adhuc esse, & in posterum, proh dolor, quãdiu mũdus hic idẽ in statu suo permanebit, futuros esse: imò, quamuis id argumẽtis & rationib. aliis non paucis, & iis quidẽ optimis ad oculum demonstrari possit; in-*

uenti tamen fuerunt, inueniuntur, & temporib. omnib. præterita præsentiaq́; hæc nostra secuturis, homines frontis adeò perfrictæ vel impudentis, vt id verũ esse negantes, seruas seruosq́; diabolicos eiusmodi melancholiâ, non magiâ laborare; licèt ab aliis mancipia Satanæ verissima deprehensos, dicere non vereantur, erunt. Et quemadmodũ alii tales, bestias potius quã homines appellãdos, supplicio capitali, vel extremo plectendos esse censuerunt: & id rectissime nec non meritissime quidẽ; sic alii ecõtra ab omni supplicio eximere conati fuerũt, patronos eorum sese præbentes acerrimos.

Quod cum ita sit, rectissime laudatissimeq́; fecerunt, quotquot se talibus mortalium pestibus nocentissimis opponẽtes, Sagas, Incantatrices,

ces, Præstigiatrices, quin etiam Magos, Incantatores, Præstigiatores esse, eademq; Diaboli mancipia e medio tollenda statuerunt. Inter hos postremis mundi labascentis temporib. veluti Sol quidã lucidissimus, inter Lunam & stellas cæli reliquas emicuit Dn. IACOBVS, Angliæ, Scotiæ, Galliæ sereniss. potentissimusq; ille Rex, Religionis veræ & puræ, hoc est, eius, quæ in libris Biblicis per Prophetas & Apostolos pposita deprehenditur, cũ studiosissimus amator, tum acerrimus promptissimusq; propugnator, qui tractatu succincto quodam Anglicè cõscripto, res superiores illas vtrasq;, hoc est, & sagas esse & easdem dignissimas reputandas, quæ diligentissime quæsitæ & comprehensæ supplicio mortis afficiantur, ostendit.

Hunc Tractatū ex Anglica dialecto in Belgicā per Theologum quēdam præstantissimū, VINCENTIVM *nēpe* MEVSEVOTIVM, *verbi diuini apud Schaghenses ministrū traductū, cū mihi piissimus, doctiss. & ornatissimus denique vir, Dn.* ISAACVS GENIVS, *Ecclesiæ Belgicæ apud vos mystes vigilantissimus in linguā Latinā transferendum porrexerit, illudque ego per gratiam mihi diuinitus clementissimè cōcessam præstiterim, libellusque per Dn.* Guilielmum Antonium, *dominū meum colēdissimum in lucem dandus sit, & ego eius bono cuidam amico dedicandi potestatē habeam; aliter equidē vt facere nō debui, sic quoque nō potui, quin prætermitis aliis omnib. & iis quidem vel amicissimis, opellam hanc meā qualem*

lem qualem, cū propter consuetudinem & notitiā, quæ mihi cum Excell. T. per annos ferè triginta intercessit; tum propter beneficia meritaque, quib. me in necessitatibus meis interea temporis sæpenumero subleuasti, vt non pauca, ita quoque non vulgaria, dicarem. Quod studium erga Excell. T. propensissimum si tibi gratum fuisse perspexero, mihi profecto nihil iucundius accidere potuisse cogitabo.

Vale, vir excellentissime; & cū Dn. IVSTINIANO I.V. D. nec non Dn. AVGVSTO, filiis tuis amantissimis, Reipublicæ vestræ luminib. splendididis, quam officiosissime ex me, Nestoris illius Pylii vitam precante, salue. Dat. Hanouiæ an. MDCIV. Cal. Augusti.

Excell. T. verè nobili deditiss.

M. HERMANNVS
GERMBERGIVS.



PRÆFATIO AD Lectorem.

INCANTATORVM & sagarũ detestabilium Satanæ mancipiorum, hac tempestate regnum hoc occupans multitudo formidabilis, mouit me (Lector amice) vt tractatum meum hunc quamprimum in publicum emitterem; nullo certè modo (crede mihi) vt per id vel eruditionem vel ingenium meum ostentarem, sed (adductus cõscientiâ) in finẽ duntaxat eum, vt animos multorum dubios, quantum per me fieri posset, ita certos redderem, ne ambigerent tum, quod tales Satanæ aggressiones possibiles sint; tum, quod talia Satanæ eiusdem instrumenta, vt quamseuerissimè puniantur, digna sint: idque contra opinionem damnabilem duorum in primis, qui seculo nostro vixerunt. Horum alter

ter quidem natione Anglus, Scotus appellatus, frontis adeò perfrictæ fuit, vt eum ſcripto quodam per typos in publicum emiſſo incantationem poſſibilem eſſe palam negare, ſicq; errorem Sadducæorum veterem tenentẽ, ſpiritus vllos eſſe, inficiari non puduerit: alter vero è Germania ſuperiore oriundus, & Wierus appellatus, profeſſione Medicus, apologiam quãdam pro Incantatoribus ac veneficis publicè in lucem dedit, quâ metuens ne punirẽtur, apertè ſeipſum profeſſionis huius eſſe declarauit.

Quo verò tractatum hunc totum & acceptiorem & faciliorem redderem, formâ dialogiſticâ eum propoſui, & in libros tres diſtribui. Horum primus, de Magia in genere, & de Necromantia in ſpecie: Secundus, de Sortiaria & Incantationis arte agit. Tertius, explicationẽ generis omnis ſpirituum, nec non ſpectrorum hominibus apparentium,

eosdemque vexantium, adeoque operis vniuersi conclusionem complectitur. Finis laboris huius à me suscepti vnicus est hic, vt duo demõstrem: quorum illud quidẽ est, artes eiusmodi Satanicas nõ modo fuisse, sed & esse quoque nunc: hoc verò, q̃ accuratissimam inquisitionem, pœnamque seuerissimam artes easdem exercentes promereri. Orationem itaq; meam instituo sic, vt quænam artib. hisce fieri possint, & quãnam causam naturalẽ habeant, ostẽdam. non quod singula attingam, quæcunq; potestatis Diabolicæ sunt: id .n. foret infinitũ: sed (vt Scholarũ more loquar, cum res linguâ nostrâ exprimi non possit) de genere tantũ ago, sub eo speciem differentiamq; comprehendens. Verbi gratia; de potestate Magorum tractans libri primi capite sexto, dico eos efficere posse, vt per spiritum ipsorum familiarem cupediæ generis cuiuscunq; quamcitissimè afferantur; cum ille

non

non aliter quam fur è furti perpe-
tratione voluptatem capiat; cumq;
spiritus sit, res eiusmodi & callidè &
rapidè satis transferre valeat. Sub
genere hoc comprehendi possunt,
quæ à præcedente pendent; puta, vi-
num è pariete (prout intelleximus
sæpenumero contigisse) promere,
aliaq; id genus plura; q̃ specialia cum
sint, rationib. iis quibus genus eorũ
cõfirmatur, satis innuũtur, & operâ
quoq; demonstrantur eâdẽ. Simili-
ter libri secundi, de arte incantandi
specialiter agentis, capite quinto af-
firmans, & argumentis variis, quod
incantatrices potestate magistri i-
psarum vel depellãt morbos vel eos-
dem immittant, confirmans; innuo
simul, quod, quæ rationes earum in
morbos opera Diaboli immissos
potestatem euincunt; eędem earun-
dem potestatẽ hac in re specialẽ cõ-
uincãt, vtpote qd' virorũ nõnullorũ
virilia sic infirment, vt eos coniugib.
ineptos reddant, & ecõtra efficiãt, vt
in aliis semẽ copiosius sit, q̃ cursus e-

ius naturalis & consuetus patiatur. Iudicium de morbis aliis omnibus prorsus idem est. Verumenimuero peto abs te (Lector amice) vt in locis illis omnibus, quib. de Diaboli potestate dissero, vnum diligenter attendas; fines nimirum siue scopos, quos sibi cum Deus, vt causa prima; tum diabolus, vt eius instrumentum & caussa secundaria, Deique in operibus omnibus hisce carnifex, propositos habent. Etenim vbicunque diaboli, quod ad ipsum attinet, intẽtio est, perdere, siue animã, siue corpus, siue vtrumq; eorum, cum quib. ei sic agere permissum est, spectes; ibi Deus econtrà semper è malo eo gloriam suam, tam malos, ratione iustitiæ, male perdendo; quã bonos patientiâ probando, credẽtesq; virgâ castigationis paternæ excitatos emendando, educit. Iam, cũ te quidnam mihi in tractatu hoc plene explicandum proposuerim, certiorem reddiderim; sine dubio me facile excusa-

cusatum habebis, quod & artes has illicitas exercēdi modum singularē prorsus omnem, earumq; mysteria pede quasi tacito præterierim; & technas earundem perficiēdarum innumeras nō expresserim: cum neutrum ad id, de quo differere instituetam, facere mihi videretur: cuius rei ratio libri tertii capite primo extremo reddetur. Quod si quis rerum harum studiosior sit; legat, si placet, Bodini Dæmonomaniā; studio sanè maiore collectam, quam iudicio cōscriptam. Legat etiam confessiones eorum, q temporib. hisce nostris in carcerib. fuerunt. Si verò quispiā sit, qui veterū de potestate Magorum sentētiam requirat; is eam apud *Hyperiū* & *Hemmingiū*, qui scriptores ambo Germani ante tēporis decursum nō admodum magnū fuerunt, vt & apud theologos cōplures alios recētiores, qui argumentū hoc fuse tractarunt, annotatam reperiet. Deniq; si quis studio, modos agēdi spe-

ciales, & artium harum magicarum curiositates (quod certè nō tam necessarium, quā periculosum est) cognoscēdi, tenetur: hic eas libro *Cornelii Agrippæ* quarto, & apud *Wierum*, cuius antea feci mentionem, inueniet. Quod reliquum est, opto (Lector amice) vt labor meus hic fructuosus sit; per eundemq;, quotquot illum legere non dedignabuntur, aduersus eos, quos attigi, muniantur errores; meamque voluntatem propensam fauori tuo beneuolo cōmendans, valere te iubeo.

I. REX.

DÆMO-



DÆMONOLOGIA,

hoc est,

CONTRA MAGIAM, FORMA dialogi proposita,

INSTITVTIO.

LIBER I.

ARGVMENTVM.

INTRODVCTIO TOTIVS; Descriptio Magiæ in specie.

CAP. I.

ARGVMENTVM.

Demonstratur è Scriptura, artes illicitas has in genere fuisse, & re ipsâ excerceri vel in actum deduci posse.

PHILOMATHES & EPISTEMON super re tota colloquuntur.

EQVIDEM *lætor ex animo, quod tu hodie obuius mihi factus sis, cum statuã te vnum præ reliquis omnibus, in quos incidere potuissem, mihi de*

quæstione quapiam, dubitationem animo meo maximam iniiciente, satisfacere posse. EPISTEMON. *De quæstione quacunque quam ego non ignorem, & tu mihi proponere volueris, equidem & libenter, & liberè quid sentiam, in medium proponam: quam si tibi minus probauisse videar, quin ratio melior obtineat, non prohibebo.* PHILOMATHES. *Quid tibi de rumoribus miris illis, qui in ore sunt omnium; iis, inquam, qui de veneficis circumferuntur, videatur, exponas, oro.* EPISTEMON. *Miri profectò sunt. Neque confessiones tam perspicuas de istis, vel auo, vel loco vllo alio, quam & auo nostro & in ditionib. nostris, editas vnquam fuisse reor.* PHILOMATHES. *Difficultatis in confessionibus hisce nihil est, modò vera sint: dubitant autem Doctores.* EPISTEMON. *De quanam verò earum parte dubitas tu?* PHILOMATHES. *De qualibet, quantum ego quidem intelligere queo. Et priori quidem loco*

dubito,

dubito, num incantatio & incantatrices sint: teque rogatum volo, vt, si quidem possis, ab omni, quæ animũ meum, circa quæstionem hanc torquet, hæsitatione me liberes. Vt vt enim cum variis de ea contulerim: mihi tamen nũquam per eos satisfactum est. EPISTEMON. *Ego quidem, quod erit in me, vt præstem, operam dabo. Verum video id, quod postulas, eo difficilius esse futurum, quod rem ipsam prorsus inficieris. Nam contra principia negantem, vt schola Logicorum loquuntur, disputandum non est. Incantationem verò & magos fuisse, & adhuc esse; illorum prius literarum sacrarum auctoritate; posterius experientia quotidiana, multorũq; confessionib. ostendi potest.* PHILOMATHES. *Adducturum te mihi Pythonissam Saulis nõ ignoro. Exemplum vero tale, ceu manifestum sat est, pro sententia tua comprobanda, parum facere potest.* EPISTEMON. *Ego verò exemplum illud Pythonissæ non tantum, sed & ra-*

tiones complures alias proposito meo confirmando sat idoneas, allaturus sum.

Demiror interim quamobrem exemplum istud (si afferam) tibi pro me facturum non esse videatur. PHILOMATHES. *Exemplum illud Pythonissæ Sauli pro te non facere, rationes sunt hæ. Et primò quidem tibi consideranda erunt, quæ subiicio: Saulus rex spiritu perturbatus spatio temporis longo ieiunauit; prout historiæ contextus testatum reddit. Venit ad mulierem ob artis magicæ peritiam diffamatam; vt quisnam rerum eius exitus futurus esset, ex illa cognosceret. Conscientiam habuit quasi cauterio rerum nouarum cognoscendarum cupiditatis horribilisq; a Deo ad Diabolũ defectionis labe notatam. Mulier ob spectrum illud mirabile, quod produxerat, admirabunda exclamauit: territa per id, quod se manifestatam regi deprehendisset. Quamuis enim Saulus vestibus regiis*

deposi-

depositis, & aliis earum loco vestitis, se regem non esse simulasset, quia tamen mulier Samuelem produxerat, eum, cuius iussu id fecisset, regem esse perspexit. Itaque mirum non est, si Saulus hac ratione perturbatus vocem mulieris non aduerterit: idque tanto magis, quod ipse in cubiculo esset à muliere disiuncto, nihil planè conspicatus.

Iam secundo, quid per mulierem istam resuscitari potuit? Spiritusne Samuelis? Id credere cùm impium, tum scripturæ sacrosanctæ contrarium est vniuersæ. Diabolusne in similitudine Samuelis? Id credibile nō magis, quam si quis affirmet, Deum Diabolo permisisse, vt in forma sanctorum eius appareret. qua ratione vates, qualisnam spiritus, bonus ne an contra malus ad eos verba fecisset, quidque in posterum futurum esse prædiceret, temporibus omnino nullis certi esse potuissent. Prophetia enim à Deo solo proficiscitur, Diabolo rerum fu-

turarum cognitionem non habente. EPISTEMON. *Si tamen historiam considerare volueris, equidem perspicies, quod Saulus Samuelem comparentem conspexerit. Et quamuis tibi dem, Saulum in cubiculo a muliere artem suam exercente remoto fuisse (prout nulli artis huius exercitatores permittunt, vt alii circulorum quos faciunt, delineationes intueantur, aut exorcismos exaudiant) è contextu tamen historia manifestum fit; quod quam primum spiritus immundus in medium processisset, illa Saulum ad se intrò vocarit.*

Dicit enim contextus historicus, quod Saulus eum, qui compareret, pro Samuele recognouerit. id quod certe per hoc solum, quia de viro quodam sene pallium induto narrari quid audiuisset, assequi nequaquam potuisset: tum, quod viri præter Samuelem senes Israelitæ alii multi è vita non minus quam Samuel discessissent: tum quod pallia com-

mu-

munis regionis vniuersæ vestitus essent. Iam quod ad alterum attinet; nempe, Spiritum illum, spiritum Samuelis non fuisse, tibi do tam libenter, vt nullatenus ad id probandum molestiæ susceptione tibi opus esse vel minimæ, ego ipse pronũciem. Etenim Christiani omnes, cuiuscunque religionis sint, hic concordes sunt. qui dissentiũt, si homines aut religione nullâ imbuti & rerum omnium ignari, aut necromantici necnon incantatores sunt ipsi. Iam Diabolo permitti, vt in formam geniorum sanctorum sese transformet, è literis quoque sacris apparet; in angelum lucis se transfigurare Satanam posse perspicue declarantibus. Hoc tamen visionibus prophetarum incommodi nihil afferre potest: cum certum sit, quod Deus ei permissurus non sit, vt populum eius seducat; sed eos tantummodo, qui seipsos sponte ipsorum propria circumueniunt. Hi enim vt voluntarie ad eum currentes in laqueos ipsorum proprios incidãt; & vt quod

2. Cor. 11. 14.


fidem veritati adiungere noluerint, magna deceptionis vi, queadmodum loquitur Apostolus, ad satietatem, illudantur, permittit Deus. Iam si facultatem futura prædicendi spectare velis, certum est; quod tametsi Diabolus res futuras omnes cognitas & perspectas non habeat; perspectas tamen habeat aliquas: idipsum exitu historiæ huius Saulinæ tragico clarissimè declarante. Hunc enim mulier ista intellectu simplice prædita prædicere non potuisset: vnde per Satanã prædictum fuisse consequitur. Rerũ deinde futurarum præscientia tametsi Dei solius ꝓpria sit, & Satan hãc ex intuitu Dei percipere non possit: quippe qui a præsentia Dei familiari contra quam genii boni in æternũ exclusus fuerit: Modorum tamen è duorum vel vno vel altero futura præuidere potest. Horum vnus est; quod, cum more mundano & sapiens & eruditus sit, per experientiam quandam a tempore creationis ipsius vsq; ad tempus præsens hoc continua-

nuatam, de rebus futuris, secundum cõuenientiam earundem cum præteritis, hac vel illa ratione naturali sese habere solitis, iudicare potest. Alter est, quod ex instructione Dei, operâ eius ad negotia quædam futura vsuri præscius euadat eorũdem: prout hic in negotio Saulis accidisse percipimus. cui simile in sermone prophetico Michææ ad Regem Achabum instituto reperimus. 1. Reg. 22. *Sed ad propositum meum prius illud, quod incantatio nimirũ nec non incantatrices esse possint, confirmandũ, exempla præter exemplum Pythonissæ, argumentaque similiter alia, in literis sacris obuia sunt plura; put antea quoque dixi. primo enim per legẽ Dei incantatio manifeste prohibita est. Certũ aũt est, quod lex diuina nõ dicat quicquam frustra, quodq; execrationẽ non imponat vllam vmbris, easq; puniendas esse non iubeat; cõdemnando quidpiam tãquã malum, quod essentialiter & re vera in rerum natura non sit. Secundo clarũ est idẽ è locis illis, vbi sapi-*

entes Pharaonis mali istius partem miraculorum per Mosen virtute diuina editorum tanquam simii quidã repræsentarunt: vt id facientes animũ tyranni magis ac magis indurarent & obstinatum facerent. Tertio, num Samuel Saulo non dicit, quod inobedientia peccatum incantationis sit? Inobedientiam verò cum re conferre, quæ non sit, id vero nimis absurdum videretur. Quartò, nonne Simon iste Magus artis huius peritus fuit? Quinto, quid erat illa, quæ spiritum pythonicũ habebat? vt de exẽplis & rationibus innumeris aliis, quas si recitare vellẽ, ꝓlixitate mea nimis tædiosus futurus essem, iam tacendo nihil adiungam.

1 Samuelis 15.

Act. 8.
Act. 16.



CAPVT II.

ARGVMENTVM.

Qualia peccata artem hanc lege Dei vetitam exercentes, committant. Partitio artis eiusdem. Quæ media sint illa, quibus homines ad exercendam eam pelliceantur.

PHILO-

PHILOMATHES. *Mihi verò, mi Epistemon, valde peregrinũ videtur esse, quod Deum mortalium, imaginem eius præ se ferentium, vlli permissurum innuas, vt ab eo tam turpi tamq; manifesta auersione deficiat.* EPISTEMON. *Tametsi verũ est, quod homo ab initio creationis ad imaginem creatoris eius conditus sit: cum tamen imaginem istã per lapsum perdiderit; eiusque pars tantummodo per gratiam creatoris eius restaurata fuerit in electis solis; præter hos cæteri omnes à Deo deficientes, in manus Diaboli hostis ipsorum, vt imaginem istius loco imaginis Dei creatoris ipsorum gestẽt, traduntur: quib. ita semel potestati Satanicæ traditis, & absurdissima & maxima impietatis scelera flagitiaq; cum gratissima, tum suauissima sunt.* PHILOMATHES. *An vero Satanæ nõ sufficit, quod indirecte imperiũ gubernationemq; habenti in id incumbere permissum sit, vt interitũ animarum plurimarum, eas ad genus omne vitia, nec* Gen. 1.

non proprias ipſarum voluptates carnales & libidines ſequendũ alliciens, procuret; niſi earundem ſimplicitate vsq; eo abutatur, vt perſuadeat ipſis, quo eum magiſtrum ipſarum eſſe confiteantur? EPISTEMON. *No ſufficit profectò. Vtitur enim malus iſte mortalibus omnibus, in quoſcunq; imperium obtinet, ſecundum complexionem & ingenium cuiusq;. Vnde fit, vt quoſcunq; illorum ſimpliciſſimos omnium deprehenderit, eis ſeipſum quammaximè detegens familiarem exhibeat. Etenim cum mortalium ſalutis inimicus ſit, medijs vtitur, quibuſcunq; vti poteſt, vt eos eo vsque in retia eius trahat, vt quamuis id poſtea quammaximè facere nitantur, ex iiſdem ſe rurſus expedire non poſſint.* PHILOMATHES. *An igitur peccatum illud, quod ii, qui Diabolum pro magiſtro ipſorum agnoſcũt, committiunt, peccatũ in ſpiritum ſanctum cõmiſſum dicendum eſt?* EPISTEMON. *In aliquib. ſane id tale eſſe ſtatuo, in omnibus autem*


tem

tem tale esse, affirmare nolim. PHILOMATHES. *Cur autem id facere nolis? Quotquot enim rectà ad Diabolum accurrunt, an eos peccatum vnum & idem committere omnes dicendum nõ est?* EPISTEMON. *Absit. Etenim peccatum in Spiritum sanctũ ramos habet duos. Vnus illorum* ἀποστασία *vniuersalis est a cultu Dei toto, mandatorumq; eius omniũ reiectio. Alter est* ἀποστασία *similiter, sed cum scientia coniuncta, quoties homo prudens & sciens a toto Dei cultu deficit tum, quãdo dulcedinem misericordiarum eius gustauit. Generis igitur apostasiæ superioris necromantici, incantatores nec non incantatrices omnes sunt; huius verò nulli sunt alii, quam tales, quos scientes & prudentes in spiritum sanctum, eos a malo auocãtẽ, peccant.* PHILOMATHES. *Hinc itaq; perspicere mihi videor, quod genera eorũ, qui se Diaboli seruos esse directè profitetur, vno plura sint. Quod si ita est, rogo te, quot & quæ genera talium sint, mihi declara-*

re velis. EPISTEMON. *Genera talium præcipua duo sunt; ad quæ partes artis huius infelicissimæ omnes referri queunt. Horum generum alterū* Magia *siue* Necromātia; *alterū* Sortiaria *vel* Incātatio *dici queat.* PHILOMATHES. *Quænā quamq; multa media ista, quib. diabolus homines nonnullos in retia eius pelliceat, esse videātur; explicare mihi digneris.* EPISTEMON. *Media illa sunt passiones illæ tres nobis inhærētes: rerū nempe nouarum percipiendarum; magnis ingeniis naturaliter insitū desiderium; vindictæ, in cordib. eorum, qui iniuriā passi sunt, profundissime radicata cupiditas, bonorum deniq; ex inopia magna exortus, amor immensus. Quod ad passionum harum trium primam, rerum nempe nouarum auide percipiendarum desiderium attinet; ea vna magorū & necromanticorū incitamētum est: reliquæ duæ Sortiariorū & Incantatorum illecebræ sunt. Etenim serpens iste & antiquus & ita versutus, cū*

spiri-

ſpiritus quidam ſit, affectus noſtros facilime ſineq; negotio vllo explorare & perſpicere, ſeq; ſecundum affectus eoſdem ſic, vt nobis ad perniciem noſtrã imponat, gerere nouit.



CAPVT III.

ARGVMENTVM.

Significatio & Etymologia *Magiæ* & *Necromantiæ*. Differentia inter *Necromantiam* & *Incantationem*. Quæ principia ſint illa, quibus homines nõnulli in cognitionẽ artis nefariæ huius ducantur.

PHILOMATHES. *Equidem libenter audirem, quid tu* Magiã *ſiue* Necromantiã *voces.* EPISTEMON. *Vocabulum* Magiæ, *lingua Perſica contemplationem & ſcientiarum diuinarũ cœleſtiumq; interpretationem ſignificat: quæ primò omniũ inter Chaldæos vſurpari ſolita, per ignorantiam Dei veri ab iiſdem virtus quædam præcipua fuit æſtimata. Hinc*

sit, quod ars hæc nomine illo honesto fuerit appellata. Idq́tamen Græci quoque ipsi retinentes, generaliter species artis huius illegitimæ sicque non licitæ, cunctas per nomen idem significare voluerunt. Vocabulum vero Necromantiæ *vocabulum Græcum est; e vocibus* νεκρὸς *&* μαντεία *compositum; illa* mortuum, *hæc* vaticinium *siue* vaticinationem; *quod è mortuorum cadaverib. assumptis aut velut indutis, per artem hanc futura prædicerentur; significãte. Nominum horũ posterius,* Necromantia *nimirum, arti huic nigræ necnõ illicitæ per synecdochen impositum est, ideo; quod partem artis huius eiusdem principem; docentem, vt dixi, quomodo per mortuorum cadauera res in posterum futuræ prædicendæ essent, complecteretur.* PHILOMATHES. *Discrimen autem inter artem hanc, Necromantiam videlicet, ac incantationem quodnam dicis?* EPISTEMON. *Sane discrimen inter hanc & illam vulgo constitui solitum,*

litum, & iucundissimum, & modis omnibus, mihi verissimum esse videtur. Dicunt enim, quod Incantatrices mãcipia, nunciaque Diaboli tantummodo sint; ad seruitia eidem prestanda obnoxiæ & obligatæ: Necromantici verò contra Diaboli magistri sint; potestate tanta præditi, vt ei, quæ velint, imperare & mandare possint. PHILOMATHES. *Quomodo verò fieri potest, vt homines seruitio istius dediti, ipsi imperandi potestatem habeant?* EPISTEMON. *Quantumuis impossibile videatur, vt Necromanticus Diabolo imperet: fieri tamen posse, sed secundum quid, & non simpliciter, affirmare non dubito. Non enim fit ex vlla, quam in Diabolum obtineant imperandi & mandandi potestate; sed è pactione quadam singulari; quâ Diabolus ipse sponte sua semetipsum ad ineptias quasdam certas efficiendas & designandas eis (Necromanticis) obstringit; vt ita vicissim super eorum cũ animas, tum corpora per eiusmodi pactionẽ consequatur im-*

perium: quæ nimirum fera illa sola est, quam venando in casses eius agere studio summo necnon indefesso conatur. PHILOMATHES. *Equidem contractus hic mihi videtur iniquissimus esse. quippe quo diabolus parum concedendo, plurimum consequatur. Ego vero talia missa faciens, quis artis huius effectus, quæ item mysteria sint, vt exponere mihi velis, oro te rogoque.* EPISTEMON. *Campus, quem tu mihi ad dicendum aperis, valde latus atque patens est. Quod quamuis ita sit, voluntatem tamen erga te meã promptam atq; bonã declarare non intermittã: ea, qua potero, breuitate singula, de quibuscunq; tibi iã ex me quærere visum erit, percursurus. Itaq; proni hominum eorum, qui ad artis huius studiũ inflammari possunt, genera duo sunt, alii nimirum docti & eruditi, alii rudes & indocti: ita media quoq; duo sunt, prima incitamenta & nutrimẽta curiositatis eorum, qui eò adducuntur, vt arti tali se dedant. Media hæc*


Scho-

Scholam, primaque, quibus ille suos imbuere consueuit, diaboli rudimenta voco. Curiositas doctorum excitatur & alitur ea re, quam Scholam Diaboli appello. estq; astrologia iudiciaria. Viri enim plurimi eruditionẽ summam consecuti, inanes interim, proh dolor, regenerationis spiritus & fructuum eius, experimẽto cognoscentes, res naturales omnes tam stupidis earum magistris, quam sibi ipsis cõmunes esse; sibiq; nomen aliquod solito celebrius comparare studentes; orbiũ cœlestium nõ modo cursum perspicere, sed & perspicientiâ orbium eorundem ad futurorum cognitionem ascendere nitũtur. Quod cum ipsis facie prima permissum esse videatur; considerantibus, quod fundamentum conatus eorum talis in rerum tantummodo naturaliũ contemplatione positum sit; per id tamẽ adducuntur eò, vt experti, quod ea qua moliũtur, in quibusdam vera deprehendantur. causas istius rei perspicere pleneq; cognoscere summa ope ni-

tantur: sicque gradatim scalam curiositatis lubricam & incertam ascẽdentes, adeo tandem inflammentur, vt, vbi artes scientiæq; & naturales & legitimæ deficiunt, quo animis ipsorum nõ quietis satisfaciant, nigram istam, nec non inconcessam Magiæ artem in consilium adhibeant. Vbi primum deprehendentes, quod formæ circulorum & adiurationum variæ recte adhibitæ, species spirituum diuersas producãt, & ab eisdem hærentes, expediantur; deq; eo, super quo dubitarãt, certi reddantur; rei huius praxi vim operationemque, quasi ea inseparabiliter circulis illis alligata sit, vel inhæreat iisdem; verbisque Dei multis quæ circulis cõmodum nominatis inuoluta sint, asscribentes; iudicio quodam cœco, in se, & de seipsis gloriantur; perinde ac si ingenii ipsorum proprii promptitudine dominatum Plutonis occupauissent, Cæsaresq; mansionum Stygiarum facti fuissent; cum miserabiles isti mendici reipsa vereq; hostis ipsorum capitalis,

Sata-

Satanæ nimirum, euaſerint mancipia: ſcientiaq; ipſorum, quantumuis eam vel maximam præclariſſimamq; eſſe, ſibi perſuadeant, re alia non vlla, quã mali cognitione & abominationibus infernalibus accreuerit: idq; in audaciæ ipſorum, qua Satanæ eo vsq; morẽ gerere non dubitarint, ſupplicium: modo prorſus eodem, quo ſcientia, quam ſibi Adamus ex eſu pomi arboris vetita comparararat, ceſſit eidem. Gen. 3.



CAPVT IV.

ARGVMENTVM.

Deſcriptio rudimentorum primorum & Scholæ, quæ introitus ad artem Magię ſunt. Diſcrimina Aſtronomiæ & Aſtrologiæ ſpecialia. Aſtrologiæ denique in partes diuerſas diſtributio.

PHILOMATHES. *Sed vt antea rogaui, vt mihi ſatisfaceres in præcedentib.; ita rogo te quoq; nũc, vt quæ rudimenta principiaq; omnium prima Diabolus diſcipulis eius proponere cõ-*

fuerit, mihi declarare memineris. EPISTEMON. *Rudimenta ea, quæ Diabolus ex eo Magiam discere cupientibus, proponere consueuit, primum generaliterq; voco id, quodcūq; vulgo de potestate verborum quorūdam certorum, herbarum item, necnō lapidū, per lecturam quādam super eis impermisse, quippe quæ causis naturalib. destituta sit, factam dici solet. Huius generis etiam praxes sunt aliæ, gesticulationes item, necnon actiones extraordinariæ: quæ lapidi rationis naturalis quasi Lydio cuidam admotæ subsistere non possunt.* PHILOMATHES. *Equidem vellem, vt, quod ais, id per exempla particularia clarius efficeres. Propositio namque tua valde generica est.* EPISTEMON. *Cū fascinorum, quæ forma verborum illicita adhibita fiunt, mētionem facio, ea intelligo, quæ mulierculis ineptis plerūq; in vsu sunt, ad ea quæ incantatione læsa morbidaque facta fuere, sanandum: ad præseruandum quempiam contra oculorum*

agri-

ægritudinem: ad bestias quasdam certas è frondium aut herbarum, ad pilos aut caudas earundem appensione a morbis ipsarum curandum: ad vermiculationem profligandum: ad sanguinem è venis citra modum manantem sistendum: ad oculos equorum lachrymarum fluxu laborantium cribri circumactione, medicamentorũ econtra per Medicos præscriptorum parti oculorũ equinorum læsæ adhibitione nulla curandum: &, vt homines coniugio copulati inter sese naturaliter consuescere (id quod nodorum plurium in ligaculo vno festiuitatis nuptialis eorum tempore nexu fieri consueuit) aliaque similia, quæ mortales in cõuentibus ipsorum, ad id, vt in iisdem frontem exporrigant, institutis, facere solent, exercere non valeant, efficiendũ. Etenim, quando homines indocti, naturâ nouitatis auidi, nullaque Dei veri cognitione imbuti, deprehendunt, quod praxes huiusmodi Satanicæ sæpenumero veræ fiant non minus, quàm

ciæ, quæ per alios arte Diaboli, hominibus imponere soliti, & nulla verbis inanibus quibusdam futilitatibusque potentia inhærente, patrantur: Cupidiq; sunt, existimationem & reputationem sibi quandam singularem comparandi; ergo in id incũbunt, vt, si iam tũ omnium celeberrimi sint, aut per eos, qui in arte magica periti sunt, doceri se exoptẽt; nescietes ab initio, quod ars illicita sit; aut econtra, si de numero hominum indoctissimorum ineruditissimorũq; sunt, ambitione lucrine cõsequẽdi cupiditate ducti, recta ad Diabolum se conferunt, superq; re illa contractum quempiam ineunt luculentum. PHILOMATHES. *Mihi vero videtur, quod media ista, quæ tu scholã primamq; Diaboli pro discipulis eius rudimenta nominauisti, res licitæ sint & permissæ; quodque temporibus & ætatibus omnibus cum omnes, tum in primis Astrologia, doctrinarum Mathematicarum præcipua, licitæ permissæq; esse iudicatæ fuerint.* EPISTEMON.

Res

Res omnino duæ sunt, quarũ viri docti ante alias omnes in scientia creaturarũ cælestiũ, quales planetæ, stellæ, aliæq; similes sunt, rationem ducere consueuerunt. Vna quidem est cursus & motus ordinarius earum; quæ eam ob causam Astronomia vocatur. Nam vox illa è νόμος *&* ἄστρον*, cõposita est; quarum vocum quoniã illa, legẽ rationemve; hæc, astrũ siue stellã designat: igitur Astronomia legem siue scientiam stellarum præ se fert. Et ars profecto hæc ipsa Mathematicarũ præcipuarũ vna est, eaq; non modò permissa, sed & necessaria laudabilisque non parum: altera verò Astrologia est. quæ vox cum ex* ἄστρον *&* λόγος *conglutinata sit, illudq; rursus astrũ vel stellã, hic verò sermonẽ seorsim notet; vocem astrologiæ futurorum ex astrorum cælestium consideratione prædictionem significare sat apparet. Astrologia hæc ipsa in partes tribuitur duas. Per harum priorem efficacia simpliciũ è terra nascentiũ, ratioq; morborum cognoscitur: prout cursus etiã temporũ anni & tempestatum,*

per influentias earundem rectarum; quæ pars tametsi astronomiæ adhærescat; per se tamen Mathematicæ pars non est. Et vt vt pars eiusdem non sit, illicita vel impermissa tamen non est; si modicè saltem adhibeatur. Tum verò modicè adhibebitur, si non tam necessaria & laudabilis, quam necessaria laudabilisque præcedens re vera est, esse intelligatur. Per alteram fit, vt quis fiduciam eius super influentiis cælestibus adeo quasi superstruat, vt per eam, quidnam rebuspublicis euenturum sit; vt, staturæne vel ecōtra collapsuræ sint; quæ personæ felices, quæ non felices futuræ sint: vtra pars in bello superatura: quis item in duello victor euasurus sit: quomodo & qua ætatis ipsorum parte mortales è vita discessuri: quinam stadium currentium palmam concurrentibus prærepturi sint: & alia generis eiusdem se prædicturum confidat: quibus de rebus Cardanus, Cornelius Agrippa, aliiq; complures curiosius quam fructuosius fusè


scripse-

scripserunt. E radice hac, de qua postremò loquuti sumus, siue rami siue stolones pullulãt innumerabiles, è quorum numero sciẽtia genethliaca, Chiromantica, Geomantica, Arithmantica, Physiognomonica, aliaq́; vel mille, a priscis gentilibus & vsurpatæ & maximi omnes sunt habitæ. Et pars illa astrologiæ, de qua loco posteriore verba feci, quamq́; radicem eiusdem rami esse affirmaui, a gentilib. iisdem fortuna nominari consueuit. Super hac astrologiæ parte fiduciam suam collocare vetitum prorsus est, prout inter Christianos eius exercendæ potestate prorsus interdictum est: quippe quæ fundamento rerum naturalium nulli prorsus innitatur. Et pars hæc pars illa ipsa est, quam ego scholã Diabolicam superius appellare non dubitaui. PHILOMATHES. *Nihilominus è doctis non pauci opinionis ab opinione tua diuersæ sunt.* EPISTEMON. *Hoc ita esse diffiteri non possum. Ego verò opinionem meam ra-*

Prędictio è natiuitatibus, è manib. è terra, numeris, vultib.

Fortuna.

tionibus adeò multis confirmare certè possem, vt aduersus eos facilè substaret; nisi rei talis susceptione me totaliter a fundamento tractationis susceptæ abstractum iri præuiderem: vt taceam, quod præter idipsum dies hodiernus totus nobis malè periturus esset. Verbo tamen vno talibus respondebo; & eo quidē in Scriptura sacrosancta (quā vnam fundamentum immotum pro Christianis omnibus esse oportet) confirmato; hoc nimirum, quod apud
Hierem. 3. *Hieremiam Prophetam clarè mandatū sit, ne quis illis, qui per cursū siue Planetarum, siue stellarum aliarum futura prædicere nitantur, aures adhibeat; nedum vt fidem eisdem dare non abhorreat.*



CAPVT V.

ARGVMENTVM.

Quatenus vsus artium magicarum licitus aut illicitus sit. Descriptio circulorū magicorū & adiurationū Diabo-

Diabolicarum. Quid ſit, quod faciat, vt magus aut ſaga circulorum delineatione laſſetur.

PHILOMATHES. *Res bene ſe habet, Epiſtemon. Etenim ſat multũ de argumento iſto dixiſti. Quomodo vero probabis, quod huiuſmodi coniurationes & artes non naturales illicitæ ſint? Etenim viri pleriq; honore digni ingenioq; præditi liberaliſſimo; & his mulieres nõ pauciores, rebus iſtis nõ naturalib. vſi fuerũt; vt ego ſanè mihi perſuadeã, fore, vt, ſi tu eos & eas omnes magiæ vel incãtationis accuſare velis, plus dicturus eſſe videaris, quã verum eſſe cuiquã perſuaſurus ſis.* EPISTEMON. *Video ſanè, quod ſi naturam vocis illius, quæ de ſermo ſit, bene notaſſes, futurum non fuerit, vt in errorẽ iſtum tam profundè incidiſſes, atq; tibi accidiſſe deprehendo; me quoque non tantum à ſcopo aberrauiſſe, quantum me ab eo deuiaſſe dixiſti, inſimulauiſſes. Quantumuis enim; quemadmodum ſcholaſtici nul-*

li in schola vlla possunt esse, nisi subditi sint magistro siue doctori ipsorum: ita nulli studere & in actum deducere (etenim studere, scientiamque habere tantummodo, periculosum potius est, quam damnosum; ipsumq; agere duntaxat illud est vnũ, quod peccati magnitudinẽ causatur) circulos illos magicos absque horribilis à Deo defectionis commissione possint: Nihilominus tamen, queadmodum illi, qui discunt leguntque, rerum siue principia siue rudimenta, ipsis ad discendum propositarum, non ideo magis magistro vlli subiecti sunt, nisi parentibus ipsorum placeat, eos post tempus illud ad ludum literarium adductos præfecto ludi literarii subiicere: Sic & de illis, quotquot per ignorantiam quandã praxin hanc magicam (quam ego rudimenta in hac arte Diaboli prima voco) bonam esse opinantur; nõ intelligentes eam escam esse, quam Diabolus ipse capiendis illis omnibus, quorum capiendorum potestatem Deus ei concessit, proiecerit,

optimam

optimam in partem iudicium ferendum est: considerando, quòd, vt diabolum non inuocent, sic opem ab eo, scientes quid agant nullam prorsus ad actionem huiusmodi obeundam expectent; sicque se ipsos seruitio Satanæ non dediderint. Quod tamen, vt vt ita sese habeat; ego nihilominus (ad me quod attinet) ad Satanam tam prope adequitare non cuperem. Iudicio namq; meo inimicus iste noster nequam nimis magnus est, nosque (exceptis illis, qui gratia Dei fortasse maiore, quam nos, muniti sint) imbecilliores sumus, quam qui periculum tam magnum, in quod nos iste adducere conatur, sponte subire debeamus. PHILOMATHES. *Rationibus profecto ad id, de quo loqueris, ostendendum, sufficientibus instructus es. Etenim quod prouerbio communi tritoque dici consueuit, Eum, quicunq; cum Diabolo cœnaturus, cynnamomo è iure vesci cupit, cochlear sat longum secum afferre oportet. Ego vero deinceps oratum*

te volo, vt pergẽs descriptionẽ artis huius, quæ magia *dici solet, absoluas.* EPISTEMON. *Quamprimum semel ad perfectionem in malo peruenerunt, cognitionemq; qualem qualem in nigra arte hac sibi comparauerunt; siue docti, siue rudes & indocti sint, per circulorũ delineationem istam magistrum ipsorum expergefaciendo lassescere incipiunt: quod delineatio ista & valdè molesta sit & periculosa non minus. Et hæc causa est, cur expreßè cum ipso contrahant; in quo contractu speciales deinceps præter circulorum effigiationes, agendorum formæ continentur.* PHILOMATHES. *Ego interim te rogo, vt prius quam progrediare, de circulis & adiurationibus magorũ mihi nonnihil explicare digneris. Eius quoque rei, quod ob circulorum delineationem nec non adiurationem lassescãt, causam ex te scire peruelim. Vero nãq; similimũ est formas illas circulorũ, quã cõuersatione cõmunioneq; directè cũ spiritib. istis tã fœtidis quã impuris contractã,*

min⁹ formidabiles esse. EPISTEMON. *Mihi profecto videtur, quod aut me magiæ insimules; aut tute ipse non grauate discipulus artis eiusmodi futurus sis. Interim modis omnibus, quib. potero, tibi breuiter succincteque de dubitationibus molestis illis, quæ in libris, quos Diaboli Scholam nominare veritus non sum, continentur; satisfacere conabor. Nunc eam ad rem quod attinet, quatuor omnino sunt, quorum rationem accuratam habendam esse puto: persona videlicet adiurantes, Actio adiurationis ipsa, verba formaque agendi ad effectum illum designandum vsurpari solita, spiritus isti qui adiurando ad comparendum prouocantur. Sed, vt fundamentum rei præsentis ponamus, primo omnium tibi cogitandum est id, quod superius indicaui: hoc nimirum; quod in virtute, quæ circulis inhæreat, vt neq; in sanctitate nominũ diuinorum, quæ blasphemè in actione hac vsurpantur; neq; in modo agendi vllo, siue ceremo-*

niis, quæ tum temporis, quo spiritus immundi euocantur, adhibentur; vt spirituum immundorum vel vnicus accersi fortiterq; vel intra vel extra terminos circulorum horum retineri possit, minimè consistat. Is enim ipse, pater mendaciorum omnium, solus est, qui primus formam istam agendi prout præscripsit; ita quoque, per eam imperata se facere oportere fingit, perinde sese gerens quasi extra terminos figurarum circularium alias exire non ausit: idque tam propter hoc, vt discipulis occasionem det gloriandi, quod authoritatem ei imperandi habeant; quam propter id, vt verificatione rerum harum paruularum sibi fidem tantam apud eosdem conciliet, qua in posterum tempus illos eô vsque, vt eos tractu vel vnico in interitum & animorum & corporum præcipitet æternum, circumueniendi potestatem nanciscatur. Fundamento hoc, prout tibi dixi, rectè locato, necesse est, vt adiurationes huiusmodi, circulos personis adiuran-


iurantib. vel pauciores vel plures habeant: & numero partium vtrarumque semper vnitatem excedente, & qualitate circulorum formave spirituum appariturorum diligenter considerati. Iam, res duæ sunt, sine quibus actio hæc perfici non potest. Vna, est aqua benedicta illa: per cuius adhibitionem Diabolus ludificatur Papistas: altera, est quiddã vitâ præditũ, cacodæmonib. tanquam munus aliquod offerendũ. Tempora quoq; anni, dierum, horarum denique certa quædam sunt; quorum omnium in actione hac ratio habenda est accurata. Cum tandem omnia hæc & dicendo prolata, & agendo præparata fuerint; tum trigoni, tetragoni, rotundi, gemini circuli ducuntur; apparitionis spirituum, quam repræsentare conantur, ratione diligentissima ducta. De circulorum verò, characterum, crucium (quæ vel interius vel exterius, vel transuersim denique delineata sunt) diuersitate, de formis demum apparitionum multipli-

cibus, per quas callidus versutusque spiritus hic discipulos eius naso, quod aiunt, suspendit adunco; deque rebus particularibus in actione hac obseruari solitis agere, cum mihi integrum non sit; Lectorem benignum ad eos, qui numero nimis multi capita ipsorum res eiusmodi, vt & nimis curiosas, & magis infrugiferas, quam par vel dignum esset, describendo grauare non dubitarunt; remittens: ab eo duntaxat incipio; quod, ex quo spiritus adiurationibus prouocatus apparet (id quod non fit, nisi post circumstantias multas, quales sunt precationes longæ, loquacitates & murmurationes eius, quisquis eum adiurat (sacrificulo Papali Missam quampiam festinatione quadam quasi cursoria demurmuranti similis) multæ: ex quo, inquam, spiritus adiurationibus incantatoris prouocatus apparuit; tum, si quis in agendorum api ce vel minimo tantillum errauerit, vel si quis pede nō satis puro circulū quempiam transilire ausus, vel tantillū macula-

eiulauerit eundem, per terribilem eius apparitionem perterrefactus; isti ab eo mox eodem temporis puncto merces debita persoluitur; quam solutionem alias diutius distulisset, nisi, qui sic abripitur, taliter peccasset. Mox .n. eum & in corpore, & animo secum abripit. An igitur hæc causa iusta sit ꝓpter quã incantatores super forma adiurationis lassi fiant; id ego tibi iudicandum relinquo; cogitanti laboris continuationem; & dierum & horarum (de quib. antea mentionem feci) strictissimã obseruationẽ; apparitionis eius terribilitatem; & periculũ in quo sese cõstitutos esse videt præsens; cum circa circulorũ expressionem nec non cacodæmonis adiuratione & omnia & singula tã accuratè obseruare teneãtur, vt in circumstantia ne minima quidem ipsis nisi cũ capitis amittendi metu aberrare permissum sit.

Ex parte altera Diabolus lætus est, ꝙ eos per hoc eò adducere potest; vt, quẽadmodũ tibi superiꝰ etiã dixi, cõtractũ

quendam finalem & plenum cum ipso inire teneantur.



CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

Contractus Diaboli cum Magis & Sagis eius. Partitio contractus eiusdem in partes duas. Discrimen inter Dei & Diaboli miracula.

PHILOMATHES. *Causæ, propter quam quis Diabolum potius planè derelinquat, quàm vt expressè ad eum se recipiat, si modo sapiens esset is, quicunque cum isto negotium init; satis est. Tu verò, oro te rogoque, vt, quidnam discipuli Diaboli faciant, ex quo artis huius decani facti fuerint, explicare pergas.* EPISTEMON. *Ex eo tempore, quo cum isto expresse contrahere cœperunt, effectus contractus eorum talismodi duabus in rebus consistit: in formis, inquam, siue figuris, & actionibus: de quibus tibi iam satisfecissem (inceperam enim de illis apud te*

loqui

loqui superius) nisi tu per interpellationem tuam sermonem a me inchoatum abrupisses. Jam, tametsi contractus à parte vtraque factus sit; ego tamen de parte illa, quâ Satan se discipulis eius obstringit, loco priore verba facturus sum. Per formas ergo siue figuras rationè modũve, quo Diabolus ad ipsos, eũ vt idipsum faciat, adiurando innocãtes, venire consueuit, intelligi volo. Per actiones, species seruiendi singulares, quib. Diabolus idem ostendit, se per eos imperatis executioni dandis obnoxium esse, accipio. Qualitas & figurarũ & actionum harum nunc minor, nunc maior est; prout & intellectus & artificium veridici ferre potest. Quod enim ad formas figurasve comparendi attinet; nonnullis discipulorum eius, qui sortis deterioris viliorisve sunt, obstringit se sic; vt se eis id petentibus, vel per nomen proprium tale, quale illis indicat; in forma canis, felis, simiæ, bestiarumve aliarum cuiusspiam, quæ nominatis absimilis non

sit; vel per respõsum quoddã, quod illis voce tantummodo quapiam facturus sit; appariturum promittat. Quod actiones deinde cõcernit, eæ sunt hæ; quod responsurus sit ad quæstiones sibi per eos factas; quales sunt; an aliquis è morbo conualiturus pristinamque sanitatem recuperaturus; qualiter administratio familiæ cuiuslibet eorum propria se habitura sit; aliæque similes, quascunq; illi proponere velint. Generi verò discipulorum curiosissimo Satan formâ sese obligat hâc, vt promittat illis, se in corpora hominum mortuorum ingressum ex eisdem responsurum de exitu præliorum, de negotiis rempublicam concernentibus, deq; reb. aliis momenti magni non absimilib. Quin eorum nonnullis obstringit se sic; vt in forma bufonis perpetuus rerum omnium obseruator eis semper adfuturus sit. Et ita permittit vt eum magus adiurationibus eô vsque adigat, vt per annos multos vel in libellum quendam membranaceũ, quo negotia quotidiana, ne forsan è memoria dilabantur,

scribi

ſcribi ſolent; vel in annulum, vel instrumentum quodpiã diuerſum, quale magus ſecum facile circumferre poſſit, ingreſſus ibidẽ permaneat, indidemq́; voluntati eius ſatisfaciat. Satan idẽ diſcipulis eius ſubtiliorib. poteſtatẽ impertit, vt res tales, quales iã dictæ ſunt, diuendant; & aliis quidem pro precio maiore, aliis pro minore; ſecũdum proportionem mendacii veriloquiive ſpiritus eius, qui in illas ipſas per eos adiuratus intrare coactus eſt; non, quod re ipſa Diaboli quid aliud atq; mendaces eſſe poſſint, ſed quod ita ſe gerant, vt miſeros iſtos, quotquot in diſciplinam eorum ſeſe tradidere, circumueniãt atq; fallãt: perſuadẽtes illis, vt credãt; quod cum Lucifero ſpirituũ aliorum è cœlo lapſorum quidam in aere; quidã in igne, quidam in aqua, quidam in terra permanſerint; in iiſdem perpetuo hærentes elementis. Hinc concludunt, quod qui lapſi in igne & aere permanſerint, veriores ſint aliis, qui in aqua & terra reſederint: quæ res nihil aliud ſunt quam technæ mendacii

cuiusuis authoris. Spiritus enim lapsi non lapsi sunt, ita, vt in lapsu ipsorum pondus vllum, quale pōdus esse solet eorum, quorum substantia densa est, vt ratione ponderis cuiusdam vspiā permanserint; considerandum & examinandum veniat. Etenim quum lapsus eorum qualitas spectanda sit eatenus, quatenus è gratia Dei, in qua creati fuerant, exciderunt; extra gratiam illam semper non modo mansere, sed & extra eandem ad postremū vsq; diem, mundum totū tāquam carnifices Dei, ad res tales omnes exequendū, ad quarum executionem opera eorum Deo eidem vti placet peragrantes. Quamque primum nullus eorum in mundo ad negotium quodpiam diuinum gerendum conspicitur amplius, tum ad carcerē ipsorum, infernū videlicet, redire coguntur (prout id manifestè conspicitur in miraculo, per Christū Genezaretha facto) in idē tēpore iudicii postremi omnes in æternū concludēdi. Atq; quemadmodū discipulos eorum deci-

decipiunt in negotio illo; ita decipiunt eosdem similiter in hoc; dum illis opinionem imprimunt hanc, vt sibi persuadeāt, inter magistros ipsorum Diabolos multos esse principes, duces, reges; quorum alii legionibus pluribus aut paucioribus imperent, quam alii; cum in artibus diuersis, tum in terra quoq; climatibus obtinentes dominatum. Quamuis enim negare nō velim, quod forma quædam ordinis inter angelos cælestes sit; quodque consequenter talis inter Diabolos extiterit antè, quàm è gratia Dei exciderunt: formam tamen eandem inter eos post lapsum mansisse; vel Deum permittere, vt nos per spiritus damnatos de mysteriis cœlestibus, quæ nobis per scripturam propheticam non aperuit, sed occulta potius esse voluit, certiores fiamus; id equidem cogitare hominis Christiani non esse puto. Quin econtra decet nos, ne, quod Deus id genus mysteria sigillo eius obsignarit, ægrè feramus; ignorantiaque perhumili contenti simus; quod eorundem

mysteriorum cognitio nobis salutaris non sit. Sed ad propositũ reuertẽs assero; quod, vt hæ agendi formæ, ad quas Satan se ipse præcipuis veridicorũ obstringit, mirabiliter curiosæ sunt; sic operationes formis eisdem conuenientes, non minus superstitiosæ sint. Subiicit.n. seipsum ad docendos eos artes & scientias singulares; id quod ei factu facilimum est, vt qui tam doctus nequam, peritusque veterator sit. Artes autem scietiaq; istæ sunt tales, vt per has omnia, quæ in vllo terræ tractu geruntur, illis innotescere faciat: id quod spiritus ille facile efficere potest. qui etiã secreta cuiusq;, quãprimum semel enunciando detecta fuerint, discipulis eius insinuãdo nota facere potest. Dico id eum facere posse, modo secreta ista semel enunciando fuerint detecta: quod nemo præter Deũ vnũ cogitationes humanas habeat perspectas; nisi quatenus spiritus idem easdem ex intuitu personarum coniicere potest; quippe qui in physiognomia siue naturæ conditione perspicienda sat

eru-

eruditus sit. Quid? quod discipulos ei⁹ ita docere & instituere consuêrit, vt fidem sibi apud viros principes cõcilient; si quidem eos sic erudit, vt illis res & multas & ponderosas prædicere norint. Prædictio tamen istorum talis partim vera, partim falsa est. Nam si tota falsa esset, tum Diabolus apud eos reputationẽ mox omnem perderet. Est tamen p̃dictio Diabolica ista ambigua tota; qualia oracula quõdã fuere Delphica. Facere quoq; solet spiritus astutus iste, vt discipuli eius in gratiã principum se subtiliter per conuiuia splendida, missusq; lautos in conuiuiis eisdem apponendos, quos extempore è partib. mundi remotissimis procurare valet, insinuent. Nam nemo furem eum esse ambigere solet. Nunc agilitas eius tãta est, vt negotium istud absq; negotio tã celeriter perficiat. Facere quoq; potest, vt discipuli iidẽ exercitu quodã splẽdido equitũ peditũq; stipetur; castris quoq; nec non arcibus muniti esse putentur. Quæ omnia sunt impressiones in aere:

facta; qualium effigiatio per eum, qui spiritus, ideoque naturæ isti aeriæ maximè affinis, sit; facile designari potest. Ita docet eos ludicra quoque multa, qualia sunt astutia singularis chartas lusorias siue aleam, nec non alia similia tam subtiliter tractandi, vt sensibus spectantium colludentiumve facilè imponere queant. Atque tales, easdemque innumerabiles, technas, quarum ætate nostra nimis multæ sunt, cum Scoto Italo, qui nobis coætaneus viuit adhuc, multi commemorare possint, si velint. Interim res tales omnes, nihil aliud quā sensuum ludificationes, nullaq; ratione substantialiter veræ sunt; qualia miracula erant ista, quæ magi Pharaonis Ægyptiorum regis operabantur, in edendis eis tanquam simii Moysen imitantes. Discrimen enim miraculorum Dei & iurati eius aduersarii Diaboli est hoc; quod Deus vnus creator sit, & omnia illa, quæcunque miraculosè apparere facit, eadem quoque re vera substan-

ſtantialiterque talia ſint, qualia oculis conſpicienda proponuntur. Ita baculus ille Moſis è manibus eius per eum humi proiectus, ſine dubio in ſerpentem naturalem, id, quod eſſe videbatur, transformatus eſt. Cum Diabolus ſimius Dei verus id ipſum per magos, mancipia eius, imitabatur, equidem faciebat, vt baculi magorũ dictorum ſerpentes etiam ſenſibus hominum exterioribus eſſe viderentur, cum ſerpentes re verâ non eſſent; id quod ex eo luculentiſſimè patet, quod ſerpentes eorum per ſerpentem Moſaicum deglutiti ſint. Mirum enim non eſt, Diabolum ſenſus noſtros ludificari poſſe, cognito, quod per communem experientiam videamus, circulatores etiam ſimplices facere poſſe, vt res vel mille tales aut tales oculis auribuſque noſtris eſſe videantur, cum tamen tales aut tales re verâ non ſint. Iam, quod ad alteram contractus huius Diabolici partem, quâ tyrones eius ei ſe obligant, attinet; id ſcilicet illud vnum eſt, ad

quod, vt & prius tibi dixi, adipiscendum virib. omnib. incumbit; quodque non aliter, quam venator aliquis leporem feram ve aliam, venatur. PHILOMATHES. *Tu mihi profecto multa de arte hac narrasti, quorum quodnis vnum non minus verum quam mirum est.* EPISTEMON. *Quod ad actionis huius veritatem attinet, illa facilimè talis esse videbitur iis omnib. quos eum laborem suscipere non pigebit, vt & historias diuersas, easdemque authenticas perlegere, & de contingentia eius quotidiana inquirere velint.*

Et sanè, si spectes id, quod Magi esse, & qua ratione esse possint, equidem me nihil hactenus in medium attulisse, quin rationibus sufficientibus satis demonstrarim: & verum esse, iudicio te tuo rationabili mihi assensurum esse, ambigere non queo. Rei tamen vnius, contractus huiusce Satanici factionem spectantis, oblitum me fuisse confiteor, videlicet

delicet huius, quod iste sanguine plerunq; magiam discentis cuiusq; scribatur; vel, si sic vtrinq; conuenerit, cōtractus idem nomine doctoris eorum, eos in parte corporis aliqua sic attingentis, vt nota fortasse nulla per id relinquatur; quomodo cum præstigiatricibus etiam reliquis omnibus Satan idem se gerere consueuit, confirmetur.



CAPVT VII.

ARGVMENTVM.

Rationes, quibus Magiam permissam non esse, probetur. Quam pœnam mereantur Magi; & qui de hac arte flagitiosa culpabiles videri queant.

PHILOMATHES. *Tu profecto de arte hac egisti sic, vt valde & monstrosa & perfidiosa esse videatur. At, rogo te, dicas, quid artem hanc, tua in eā inuectione tā aspera nihil obstāte, licitā permissamq; esse con-*

tendentibus responsitandum putes. EPISTEMON. De talibus ego, quod vel illimet ipsi magiam prorsus oleant, vel certè non multo meliores sint, pronunciare non dubito.

Quod vt vt ita sit; rationes tamē, quibus magiā tueri se posse somnient, equidem perlibenter audire velim. PHILOMATHES. Rationibus, præter id, quod super prouerbio Necromāticorū vulgari (hoc nimirum, Necromāticos Diabolis imperitare, id quod tute ipso superius refutasti) fundatum est, præcipuè duabus eam tueri nituntur. Vna, super recepta consuetudine; altera, super authoritate, quam aliqui immotā esse rentur, fundata est. Quod ad consuetudinem attinet, videmus, quod principes, & magistratus Christiani multi veneficorum castigatores acerrimi, non tantum conniuendo permittant, vt magi in ditionibus eorum vitam degant; sed & animi gratia non rarò voluerint, vt iidem artes ipsorum coram eis exercerent.

Iam,

Iam, si auctoritatem spectes, Moses (vt expressè in historia sacrosãcta perscriptum legimus) in scientiis Ægyptiorum quibusuis informatus & educatus fuit. Ex harum autem scietiarum numero Magia *sine dubio fuit vna & ea quidem præcipua. Atqui si ille, arte hac nihil obstante, Deo placuit, prout eum Deo placuisse, negari non potest; necessariò consequitur, quod ars talis, quæ per virum tam pium exercita fuerit, illicita dici non queat.* EPISTEMON. *Quod rationem tuam priorem super consuetudine fundatam concernit; equidem affirmo, quod consuetudo mala pro lege bona nunquam accipi possit debeatve. Ignorantia namque verbi diuini animos principum magistratuumve nonnullorum nimis magna occupans, eiusdemque verbi diuini despicientia siue contemptus per alios in Deum commissus, equidem faciunt vt principes illi peccatum tam graue committant. Quod rationem tuam posteriorem spectat, quæque pon-*

deris permagni esse putatur; ea, si in formam syllogisticam redigatur, terminos habitura multos, fallaciaque plena, prout Logici loquuntur, futura quin sit, nullus dubitare potest. Quod enim primò propositio generalis ista, confirmans Mosen in scientiis Ægyptiacis quibusvis eruditum fuisse, concludere debeat, ipsum in magia institutum fuisse; id quomodo necessariò consequatur, ego videre nonqueo. Nobis enim cogitandum est, quod spiritus Dei ibidem de scientiis loquens, innuat tales, quæ permissæ fuerint atque concessæ. Etenim, si scientiæ tales non sint, abusiuè scientiæ nominantur, veriusque ignorantiæ nec non inscitiæ quam scientiæ dicendæ sunt. Nam homo pictus, homo non est. Concesso deinde, quod Moses in Magia *fuerit institutus; inter sciẽtiam tamen & operationem rei cuiuscunque discrimen permagnum est: prout antea me tibi quoque dixisse meministi. Deus.n. quamuis omnia nôrit, semper tamen*

Homo pictus, homo non est.


bonus

bonus est. At è peccato nostro nec non imbecillitate, ignorãtia & inscitia nostra promanãt. Tertio rursum cõcesso, quod in arte hac non duntaxat institutus fuisset, sed ipse quoq; exercuisset eãdem (id quod hominem Christianum credere mõstrosum sit) nos tamen ignorare non possumus, prius quàm spiritus Domini Mosen vocauerit, ipsum ex Ægypto profugisse, annos agentẽ quadraginta; ideo quod Ægyptiũ quendã è medio sustulisset; & in terra Iethronis soceri eius ad populũ Dei ex Ægypto educendũ vocatũ fuisse ad dumetum ardendo nõ consumptum, posteaquam istic etiam per spacium annorum quadraginta exul cõmoratus fuisset. Quãnis igitur ante tẽpus illud ipsum, mortalium pessimus omnium, super terra viuentium, fuisset: post tempus tamen id decursum conuersus, & vir Dei factus est, valdeque parum Mosis illius veteris in eo remansit. Abrahamus in Vre Chaldæorum prius, quàm indidem euocatus fuisset, idolorum cultor erat. Paulus etiam cum Saulus ad-

huc esset; sanctorum Dei persecutor erat acerrimus ad tempus vsque illud, quo nomen eius quod erat Saulus, in nomen Pauli mutatum est. PHILOMATHES. *Quam igitur pœnam putas tu Magos & Necromanticos homines huiuscemodi mereri?* EPISTEMON. *Eos equidem pœnam eandem mereri arbitror, quam & sortilegi, & incantatores alii merentur; quinimò tanto potius maiorem quanto magis error istorum cognitione maiore vel vberiore præcellens ad peccatum in Spiritum sanctum propius accedit. Atque quemadmodum loquor de istis; ita loquor etiam de his omnibus, qui consilii capiendi gratia ad eos accedere, eos inuisere, eos sustentare, cum eis conniuere non dubitant: id quod per miserabiles istos sæculi nostri hinc inde vagantes Ægyptios,* Heyden *vulgo nominatos, fieri solere constat. Diabolus enim nunquam nouis, quæ cuiquã nunciet, instructus est melioribus, quam erant ea, quæ Saulo dicebat.*

Por-

Permissum quoque non est, instrumentis eiusmodi vetitis uti; quantumuis in finem multo meliorem fieret, quam fieri consueuit. Etenim pronunciatum illud Theologicum; Malum nunquam faciendũ esse, vt bonum inde eueniat, *& certum & infallibile est.*



INSTITVTIONIS contra Magiam LIB. II.

ARGVMENTVM.

Sortiariæ nec non artis præstigiatricis descriptio specialis.

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

E literis sacris ostenditur, quod sortiaria & ars præstigiatrix esse reuera possit. Deinde rationes eorum omnium, quotquot artem Diabolicam hãc simpliciter imaginationem quandam, & humorem melancholicum esse cõtendunt, refelluntur.

PHILOMATHES. *Quoniam de* Magia *siue* Necromãtia *mihi perfectè satisfecisti, igitur, vt modo eodem mihi de* Sortiaria *vel arte præstigiatrice satisfacere digneris, te rogo.* EPISTEMON. *Campum discurrendi hic iterum*

iterum valde latum nec non amplum mihi apertum esse perspicio. Et vt vt in ore scriptisq; multorum res hæc verse-tur; pauci nihilominus sunt, quib. veritas eiusdem nota perspectaq; sit: prout illimet ipsi credunt: egoq; tibi breuiter, annuente Domino sic declarabo, vt ita sese habere perspecturus sis. PHILOMATHES. *Atqui rogatum te volo, vt prius, quā longius progrediare, permittas mihi, vt hic aliquantulum digressiuncula quapiam te remorer: quæ est, quod multi difficulter credere possint, præstigias vel incantationes esse. adducti rationib. certis quibusdam, quas tibi succincte proponere conabor; vt mihi de illis tam bene satisfacias; quam de cæteris antè satisfecisti.*

Primo igitur, vbi loca Scripturæ S. demonstrare videntur, quod præstigiæ vel incantationes esse possint, idque per exempla diuersa; in primis autem per ea, quæ tu mihi ante oculos cōstituisti; putant plerique, quod de Magis solum & Necromanticis loquan-

tur; de præstigiatoribus autem, vel incantatoribus verba non faciant. In primis autem viri (inquiunt) isti Pharaonis Ægyptiorum regis sapientes, qui miracula Mosis imitando expresserunt, magi fuerunt, præstigiatores econtra minimè fuerunt: quemadmodum & mulier veridica ista, quā rex Saulus consuluit, Maga tantummodo fuit; incantatrix econtra non fuit. id quod & de Simone Mago, cuius in fœdere nouo mentio fit, affirmari potest. Magus enim fuit, vt & agnomen eius manifestè præ se fert. Simon enim Magus appellatur. Secundò, quod in praxin quotidianam confessionemque complurium contra hanc virorum talium opinionem profers, id similiter nihil aliud, quā imaginatio quædam melancholica, hominum ratione non compotum, sed potius furentium, esse iudicabitur. Tertiò, si verum esset, quod de præstigiatorum potestate narratur, sique homines incantando de medio tollere possent (prout aliqui, eos pote-

potestate tãta præditos esse cõmemorãt) iãdudũ profecto mortales nulli præter incantatores ipsosmet in mũdo viui relicti fuissent: inprimis autem pius reuerensque Dei nullus, cuiuscunque ordinis atque dignitatis esse ptouisset, technam istorum Diabolicam effugiturus fuisset. EPISTEMON. *Rationum tuarũ trium illarũ, quantum ego quidem perspicere possum, prima negatiua, super scriptura sacra fundata est: secunda affirmatiua super physica, siue doctrina de natura, extructa est: tertia denique super demonstratione certa, vt falli; ita fallere quoq; nescia, experientiæ quotidianæ firmata est. Sanè, quod ad rationum tuarum trium istarum primam attinet, verum est, quod viri Pharaonis sapientes isti magi fuerint omnes. Idem ipsum de muliere veridica, quam Saulus consuluit, verum quoque est. Idem denique de Simone Mago statuendum est. Tu verò de lege diuina, per quam magi, veridici, dæmonum siue spirituum*

malorum coniuratores, præstigiatores, sortilegi, & quotquot generis eius sunt, vt consilia cum Diabolis communicent, apertissimè condemnati, paresque modis omnibus esse iudicati sunt, verba nulla fecisti. Iam sane ancilla ista, de qua mentio fit in actis apostolicis, & quæ spiritum habuit veridicum, qui apostoli iussu obmutuit, nihil aliud esse potuisset, quam præstigiatrix verissima, si tu permittere velis, quod discrimen illud vulgare, de quo tibi ab initio colloquii nostri locutus sum, verum sit. Spiritus enim iste, per quem dominis ancilla lucrum adeo magnũ conciliabat, non erat in illa, vt eam excitaret, incitaret, aut ei imperaret, prout ipsi (ancillæ) placeret; sed loquebatur tantummodo per linguam eius, non minus apertè, quam seorsim vel occultè. Vnde manifestum euadit, quod ancilla ista propius accesserit ad eos, qui per spiritum quempiã malum possessi essent: cum coniũctio spiritus mali cum ea, consensu eius facta non fuerit; pro-


prout apparet ex eo, quodper istum excruciata non fuerit, quodque lucrum illamet ipsa, ex ea coniunctione non perceperit; sed hoc totum dominis illius, prout antea quoque dixi, cesserit. Ad rationem tuam secundam super physica, siue doctrina, de rebus naturalibus tractāte, fundatam, quod nimirum passiones siue complexiones Incantatorum naturali eidemque melancholico humori asscribantur, si animum intendas; affirmare non dubito, quod omnes, quicunque physice siue secundum naturā humorē melancholicum naturalem, idque secundum omnes illos, quicunque de physicis vllo tempore quicquam per scripta memoriæ prodiderunt, considerare voluerint; deprehensuri sint, rationem hanc ipsam pallium esse ad præstigiatorum malitiam tegendam nimis & curtum & angustum. Nam vt humor melancholicus in se niger, grauis, terreus est: sic illius in hominib. illis, qui humori huic obnoxii sunt, collecti, ingens ad

dormiendum procliuitas, pallor inusitatus, vitæ solitariæ denique cupiditas indicia sunt: quæ tria si in ipsis ad gradum vsq; supremum peruenerint, eos ad insaniam furoremque adigunt. Econtra verò omnium istorum, quotquot artis incãtandi amatores fuerunt (prout temporibus præsentibus his in multis obseruare licet) plerique fuerunt pingues & corpulenti; maxima verò pars eorum voluptatib. carnalibus tã illicitis quam licitis, continuisque negotiorũ gerendorum societatibus dedita est: quæ res regulariter collectioni humoris melancholici (de quo verba feci) contrariantur omnes. Experientia deinceps quotidiana cuique de hoc cogitanti testatum facit, quam inuoluntariè nec non coactè, quales sint, confiteantur; illaque confessio, nisi ad scalas Gemonias extendantur, ex eis exprimi non possit. id quod culpæ ipsorum testimonium est indubitatum: quum melancholici contra nunquam desinant per sermones eorum irre-

irremissos prodere semetipsos, per id, quod maleficia omnia flocci faciant, humores ipsorum tali modo nutrientes.

Ad rationem tuam tertiam quod attinet, ea profecto responsione mihi vix digna esse videtur. Etenim si Diabolus magister incantatorum frenatus non esset, quemadmodum scriptura sacrosancta eum frenis lupatisque quasi coercitum esse, nos docet; profecto, quantumuis nulli viri, nullæ mulieres essent, quibus velut instrumentis aliquibus vteretur; tamen ipse vias satis multas inuenturus esset, sine vllo aliorum auxilio ipsi suppeditato, quibus genus humanum perderet vniuersum: ad quod ipsum re ipsa præstandum viribus omnibus incumbit, circumiens vnum quemuis è nobis, teste diuo Petro, tanquam leo rugiens, & quem deuoret, inquirens. Atqui metæ potestati eius positæ fuerunt, antè quam fundamenta mundi huius iacerentur; quas ne in minimo quidem transilire ipsi permissum est. Sed præter hæc

omnia præstigiatores esse, certitudo certitudine vel maxima maior est noxa illa quotidiana; quâ non solum homines, sed & alia omnia, quæ per homines possidentur, afficiunt. Permittit .n. Deus id illis, vt per eos tãquam media vel instrumenta mortales excruciet atque tentet: prout è rationibus meis, quibus hanc artem possibilem esse demonstraturus sum, planè videbis.



CAPVT II.

ARGVMENTVM.

Etymologia Sortiariæ. Initiatio prima istorum, qui arti huic discendæ se dedunt.

PHILOMATHES. *Rogo te, vt eò, vnde digressus es, reuertaris.* EPISTEMON. *Vocabulum* Sortiaria, *Latinum est, à sortium iactu desumptum; ideoque ille, quisquis arte hac vtitur,* Sortiarius, *à sorte, vocatur. Causa verò, cur sortibus vtentes sortiarii dicti sint, est effectus ille, qui è sortium*

tium iactu, per eos facto, prouenire videtur. Quidam deriuant à gestibus & signis illis, per quæ quis cognoscit, num, qui morbo aliquo laborat, sanitatem recuperaturus vel moriturus econtra sit. Generaliter autem nomen hoc ipsum datum est exercitoribus artis huius, quod sortibus vterentur, quotiescunque actiones illicitas, ineptas & stultas artis eiusdem patrare vellent.

Incantatorum verò, vel præstigiatorum artis partes multæ, partib. Magorum communes sunt. Vtrique.n.vni, nec non eidem seruiunt artifici; quantumuis modo id faciant diuerso. Atque quemadmodum ego Necromanticos in genera duo partitus sum, in doctos nimirum, & in indoctos; sic Incantatores in genera totidem mihi distinguendos esse video. Dico igitur, quod illorum alii diuites, ideoque cæteris æstimationis maioris, alii pauperes & gradus inferioris sint. Iam gradus artem hanc exercentium hi ambo,

quod ad passiones, quibus obnoxii sunt, quasque, sicut antehac tibi dixi, Diabolus vsurpat tanquam media vel instrumenta, per quæ eos ad seruitium eius excitet, attinet; inter se conueniunt. Quotquot enim inter eos valde miseri nec nō inopes sunt, hos ad sequēdum se inuitat, promittendo eis & diuitias magnas, & voluptates mūdanas ingentes. Alios econtra, qui opibus abundantes ardent nihilominus cupiditate iniuriarum vindicandarum desperata, allicit ad se; pollicendo illis, quod effecturus sit, vt voti ipsorum reapse compotes euadant, non minus quam animo optare vel possint vel ausint.

Ex hoc igitur animaduerti potest, quod inimicus iste noster antiquus nullos alios præter hos ipsos, qui defectibus duobus his extremè quasi sagitta quapiam transfixi; vel certe si quos alios, ii supra quam dici possit simplices, ignari, & animo præ socordia Dei nimis contēnente præditi sint, inuadere con-

consuêrit. Quod si quos ex vna causarum istarum duarum, de quibus locutus sum, extremè laborantes offenderit, viam sibi præparat ita, vt eos aliquantulum in humorib. ipsorum callidè nutriendo sustentet; magis item, magisque spe vana lactet, idque tantisper, dum tempus ad semetipsum illis declarandum fuerit adeptus idoneum. Quo tempore quum eos vel ruri solos obambulantes, vel in lectis ipsorum, plenos interim cogitationum solicitarum cubantes, omnique sodalitio destitutos inuenit; tunc ex illis aut per vocem quandam, aut hominis alicuius similitudinem, quidnam illud sit, quod eos ita maceret excrucietque, inquirit: promittēs eis simul remedium quoddam extemporaneum, illudque, quo ab aduersitatib. ipsorum liberentur omnibus, certissimum; conditione tamen illa, vt ipsi ex ipsorum parte obligent se isti, quod consilium eius secuturi, facere velint omnia, quæcunque mandaturus sit agenda. Iam, cum

animi ipsorum prius ita, ceu dixi, persuasi fuerint; facile isti in eo, quod ab eis efflagitat, assentiuntur. Quo facto, signa quædam notæque certæ constituuntur, per quas alias iterum inter sese conueniant. Quo tempore iam præsente prius quam quicquam amplius cum eis agere aggrediatur, requirit ab illis, vt seruitio eius addicant se totos. Hoc facile ab eis obtento, tandem se detegit & vniuersis & eorum singulis; ostendens qualis re ipsa sit; facitque vt isti Deum ipsorum baptismumque directè abnegare non vereantur, certamq; sui notam quandam in partibus corporis secretis imprimit: quæ tantisper cruda, patens & hians sine cicatrice relinquitur, dum proxime sibi rursus obuii sint facti: ex eoque tempore nota illa ipsos dolore nullo prorsus afficit, quantumcunque vellicetur, tūdatur aut prematur: id quod quotidie sese sic habere probatur. Ita vero Diabolus cum illis agit, vt eis certo persuadeat, quod quemadmo-

modum notam illam ipsis imprimendo dolore eos afficere, eundemque rursum sedare potuit; ita quoque omne id, quod post tempus illud vel bene vel male faciant, ab eo totum dependere concludant. Iam præter id, quod dolor importabilis ille, quem in partibus corporum ipsorum, in quas notam illam sui cacodæmon impressit, experiuntur; vtilis est ad id, ne isti notati somno sese dedant, conuentumque proximum alacriter expectent: in partem contrariam metuit Satan, ne tanquam nouelli, & in arte ista odiosissima, nondum satis fundati tyrones, eius inimici ipsorum, obliuiscerentur; aut promissionem illam, quam ei in conuentu proxime præterito fecissent, terribilissimam esse cogitantes, contristatique ab eadem deficiendo, illam reuocarent; ea causa videtur esse, cur in conuentu ipsorum tertio speciem quãdam præ se fert talem, quâ ostendat, solicitum se esse, ad ea, quæ pollicitus eis sit, adimplenda; siue medi-

illa, quibus alii (si modo sortis illius discipuli sint) iniurias sibi factas ipsimet vlcisci queant: siue hæc, quibus alii (si modo sortis illius discipuli sint) male nec non illegitime lucrum opesque mundanas adipiscantur, spectare velis.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

Facta præstigiatorum vel incantatorum in genera duo diuiduntur: cum alia personæ ipsorum propria sint; alia personam aliorum attingāt. Forma conuentus ipsorum, modusque, quo magistrum eorum adorant.

PHILOMATHES. *De initiatione ipsorum, qua scilicet in ordinem recipiūtur aut introducūtur, exposuisti satis: restat igitur vt de actibus ipsorum, quæ postea, quā pro discipulis recepti fuere designāt, ratiocinari pergas. perlibenter enim quidnam re ipsa perficere, vel e contra perficere non valeant, audirem.* EPISTEMON. *Quāquam*

quam magistro ipsis cum Necromãticorum magistro communi, sicut antea me quoq; dixisse meministi, seruiant; modo tamen eidem seruiunt diuerso. Sicut enim media diuersa sunt, quæ eos ad seruitium Diaboli artis huius illicitæ magistri inuitant: ita per rationes diuersas facta ipsorum exequuntur.

Quãquã verò facta illa pro ratione mediorum diuersa diuersè, ceu dictũ fuit, exequantur; scopum tamen ad quem collineant, vnum & eundem sibi propositum intuentur. Hic autem est, vt tyrannidem Satanicam dilatent, propagationẽ econtra regni Christi impediant, quantum non modò in efficacitate ipsorum vel hac vel illa; sed & in potestate Diaboli magistri ipsorum id situm est. Quemadmodum enim ex parte vna Magi per rerum nouarum notitiæ consequẽdæ cupiditatem inuitati, maiore machinationum ipsorũ parte incumbunt in id, vt illis eatenus satisfiat, quatenus ipsis

gloriam nec non æstimationem vulgi concilient: sic è parte altera præstigiatores aut incantatores vel vltionis iniuriarum ipsis illatarum exercendæ; vel diuitiarum terrenarum cõquirendarũ cupiditate inflammati, studium ipsorum omne conuertunt eò, vt vel homines eos quibus male volunt, bonave ipsorum, lædant; & sic animis ferocibus in futurum satisfaciant: vel alios etiam quoscunq;, cõtra quos Deus ipsis venenum ipsorũ euomendi potestatem concesserit, damno afficiant; vt ea ratione animis ipsorum, quod ad punctũ posterius, diuitiarũ videlicet adeptionem, attinet, per eos satisfiat.

Iam, facta seu gesta ipsorum bipertitò diuidi possunt; in ea nimirum, quæ cùm eos ipsos, tum alios, in quos illa vel omnia, vel eorum nonnulla duntaxat exerere consueuere, concernunt. Quæ distributio si per te rectè cognita perspectaq; fuerit, faciet profectò, vt quid illis possibile, quid non possibile sit, facilè concludere possis. Quamuis enim ex

parte

parte ipsorum id non totum est falsum, quod verum esse putant ; nihilominus tamen pars illius, secūdum opinionem meam, se sic re vera non habet, prout illi met ipsis eam se habere persuadent. Hæc, inquam, loqui me aio de gestis personam præstigiatorum propria concernentibus. Nam, prout antea dixi, cum de Magis verba haberem; quemadmodum Satan sensus discipulorum eius fallit in multis: sic idem de præstigiatorib. & incantatorib. verū esse affirmare nō dubito. PHILOMATHES. *Ergo te rogo, vt prius de factis persona ipsorū propria; posterius de gestis personas alienas concernentib. vel iis quæ in aliis exerunt, explicare digneris.* EPISTEMON. *Vt incantatores facta illa, ad quæ patrāda Diabolus, doctor eorū, eos adhibere vult, exequantur; Satan in seruis eius, veluti simia quadam Dei, seruitium siue formam adorationis talem, qualem Deus ministris eius præscripsit, ab eisdemq; exerceri voluit, exprimere consueuit. Quemad-*

modū enim serui Dei, iussu illius publicè conuenire solent, ad seruiendum ipsi: ita Diabolus etiam facit, vt serui eius numero frequente ad seruiendum ei se congregent: quod tamen isti publicè facere non audent. Iam, quemadmodum nulli conueniunt ad Deum adorandum, eundemq; honorandum, nisi sigillo ipsius, Sacramēto nimirum, qui baptismus appellatur, insigniti sint: ita quoque nulli ad Satanæ seruiendū, eundemque adorationis cultu venerādum congregantur; nisi qui nota illa, de qua superius mentionem feci, notati sint. Quemadmodum deinde minister à Deo missus, tempore concionum seruorum Dei manifestarum docet apertè, quod eos oporteat ei & in spiritu & veritate seruire: ita spiritus immundus in persona eius propria discipulos eius in conuentibus istorum docet, quod generis omnis infortunia operari debeant. Rationem quoque terribilium & perfidarum operationum tempore præterito per eos cō-

mis-

missarum repetit ab eisdem, ad seruitii vel cultus eius propagationem facientium. Quinetiam, vt Deum tāquam simius aliquis tanto viuidius imitetur, eiusq; sacris ad contemtum cultorum eius tanto vehemētius illudat; facit equidem sæpenumero, vt mancipia eius in loca etiam ea, quæ conuentibus per seruos Dei celebrandis idonea sunt, (templa, ecclesias vulgo nominatas, aio) conueniant. Et hoc quidem, quod hactenus affirmaui, statuo ego certe verum esse non duntaxat opinione præstigiatorum ipsorummet; sed & ideo, quod ita re ipsa vereque totum, quemadmodum narraui, se habeat. Forma enim illa, qua Satan vtebatur inter gētes, me mouet, vt cogitem sic: Quemadmodum Deus loquebatur, seque per oracula ipsius aperiebat; an nō ita quoque Satan loquebatur manifestabatq; sese per oracula eius? Quemadmodum Deus sacrificia acceptabat cruenta alia, incruenta alia: an non ita quoque Satan sacrificia habebat simi-

lia? Quemadmodum Deus templa habebat, cultui eius sanctè dicata, altaria, sacerdotes, victimas, cæremonias, preces: an non ita quoque Satan eadem habebat, ad seruitium eius profanata? Quemadmodum Deus respõsa per Vrim & Thumim *dare solebat; an non ita quoque Satan ipse per exta bestiarum, per cantus auium, per gestus earundem in aere fieri solitos, responsa dabat? Quemadmodum Deus per visiones, somnia, ecstases aut emotiones sensuum, quid in posterum futurum esset, quaq; voluntate erga seruos eius esset, prænunciabat; an nõ ita quoque Satan ipse ad mancipia eius de rebus in posterum futuris præmonenda, mediis vsus est similibus? Quinetiam, quemadmodum Deus amat mundiciem, odit immundiciem è fuga virtutis profectam; legesq; eiusdem puniendæ proponit; an non ita quoq; Satan (quanquam fictè, & omnino sic, vt dedititiis eius de infortunio præcauens quopiam minore, tales in tantum*

ad se

ad se pertrahat, vt infortunii multo longeque maioris obnoxios eos reddat, illud eum factitare solere, fateri me oporteat) sacerdotibus eius, vt corpora ipsorum pura immaculataque conseruent prius, quam ab ipso oraculum petant vllum, iniungit? An idem quoque non ita se gerit, vt fateatur Deum virtutis omnis defensorem; econtra, vitii cuiusuis virtuti contrarie oppositi vltorem & vindicem iustum esse? Rationes itaq; tales me mouent, vt, quod, quemadmodum Diabolus est idem iste, qui tẽpore superiore fuit, quodq; iã nõ min⁹ fallax & fraudulentus sit, quam fuit olim; ita quoque temporibus hisce nostris ab agendi modis similibus abstinere se non velit, credere non dubitem; & id quidem ex parte ea, quâ facta præstigiatorum personas eorundem, ceu dixi, spectantia consideres, in primis sic habere se statuam. Præterea præstigiatores aut incantatores isti sæpius oribus ipsorum propriis confessi fuere,

quod Diabolus cum ipsis nō duntaxat in templū quodpiam fuerit ingressus; sed & hoc, quod suggestum, è quo verbum Dei tractari solet, occuparit. Imò, quod modus, quem in eo adorando obseruare tenerentur, esset; vt partes eius posteriores osculari tenerentur. Et sanè, quātumuis hoc ipsum ridiculum videri possit; nihilominus tamen verè sic factum fuisse, credibile est: considerato, quòd ei in Calacutha forma siue specie hirci comparenti intuentibus omnibus fidelitatem hanc à populorum istorum velut eius vasallorum quouis vno præstari solere legamus. Tam cupidus scilicet imperii nec non honoris est (id quod lapsum eius quoque causatum fuisse fertur) vt Deum ipsummet in parte hac imitari velit; de quo Deo vero scriptum extat, quod Mosi dixerit, eum posteriora eius tantummodo visurum esse, claritate ipsius anteriore inconspicua manente.

Exodi 33.

CAPVT

CAP. IV.

ARGVMENTVM.

Quænam media taliter comparata ſint, vt per ea præſtigiatores in loca longè lateque ab illis remota transferri poſſint; quæ econtra non talia, ſed meræ Diaboli illuſiones reputanda ſint. Rationes aſſertionis & huius & illius demonſtratiuæ.

PHILOMATHES. *Quænam ſint media illa, quibus, ſicuti vel illi met aſſirment, vel tu quoque ipſe opinari poſſis, eueniat, vt modo legi diuina prorſus aduerſario congregentur; ex te audire geſtio.* EPISTEMON. *Hoc ſcilicet illud ipſum eſt, in quo eos falli, decipi, adeoque irrideri ſolere cogito. Atque licet iſti contrarium confitendo non mentiantur, cogitantes nimirum, ſibique planè perſuadentes, id verum eſſe; re tamen ipſa nec nō eſſentialiter, vt imaginantur ſibi, ſic ſeſe non habet, hoc nempe quod aiunt, per me-*

dia diuersa synodos celebrare sese consueuisse, siue id ad magistrum ipsorum adorandum, siue ad seruitiorum illorum, quæ ipsis in conuentu proximo iniunxerit, vllum ritè præstandũ, faciant. Mediorum vero talium aliud naturale est; quale est, more consueto equitare, ire, vehi, hora hac vel illa, quã magister ipsorum eis indicarit. Et hoc mediũ possibile esse, facilè credi potest. Medium verò alterum peregrinius est; & interim tale, quod verum similiter esse possit. Est autẽ hoc, quod potentia spiritus mali magistri ipsorum eis comitem sese præbentis per aerem trans terram mareve ipsum ad loca illa, in quibus conuentum agitare velint, pernicissimè ferantur: id quod, quamuis, vt asserui, valde videatur incredibile; possibile tamen esse non dubito: perpenso, quod quemadmodũ Abacucus forma hac ipsa per angelum Domini ad spelũcam istam, in quam Daniel coniectus erat, delatus est: ita iudicio quidẽ meo Satan homines persuasos

Vide apocrypha de Belo & Dracone.

suasos quoq; esse velit, vt credãt; quod, quemadmodũ Dei facta in aliis omnibus, sic in negotio etiam hoc, exprimere possit. Et id quidem ipsum Diabolo impossibile non est; quippe qui spiritus sit, vento cuipiam, meteoro validissimo, corpus aliquod & densum & graue ab vno loco ad alium, prout quotidiana fere docemur experientia, secum abripere valenti, similimus. Modo tamen hoc tam violento præstigiatores tempore diuturniore ferri non possunt, quam quanto halitum intra se continere queant. Etenim si latio istorum tempore iam dicto diuturnior esset, aliter fieri non posset, quin spiritus aut halitus in corporibus ipsorum extingueretur: vtpote qui motu tam violẽto validoq; ferrentur. e.g. Quod si quis è loco cadat humili, vita huius periculo tanto maiori minoriue exposita est, quanto durius molliusve ad centrũ feratur. Quod si verò quispiã ex alta præcipitiq; rupe deciderit, anima siue spiritus huius è cor-

pore violentia casus efflabitur etiam citius, quam terram attingat; prout sæpius experientia ipsa deprehensum est. Iam, quod in latione hac incantatores isti, aliis, præterquam sibimet inter ipsos inconspicui sint omnibus, id oribus ipsorum propriis affirmant. Et hoc quidem secundum opinionem quoque meam ipsius ita fieri possibile est. Etenim, si Diabolus pro libitu ipsius (vt antea quoque de magia loquutus affirmaui) in aere impressiones qualescunq; efficere potest; per quid, oro te, impediretur, quo minus aerem ita inspissaret obscuraretque, vt, dum aerem illum, per quem quacunque ex parte ambitur, tam arctè contraheret, vt radii Solis ad oculos intuentium eundem peruenire non queant? Medium verò tertium, per quod se synodos siue cõitia ipsorum sortilegi isti vel incantatores agitare consueuisse putant, tale est; vt ego eos in illo falli riderique mihi plane persuasum habeam. Medium verò illud est tale, quod referentibus

tibus eorum quibusdam in animalcula quædam, quæ corporibus omnium minimis sint, & in auiculas minutissimas transformati, in domos omnes & in templa se omnia insinuare possint: quamuis transitus earum eorumq; omnium clausi sint omnes; quodque illis aperta patentiaque sint omnia, per quæ ventus flando penetrare possit. Dicunt eorum quoq; nonnulli, quod corporib. ipsorum sine motu vllo iacẽtib. (quemadmodũ in ecstasi, & sensuum è corporibus humanis emotione fieri consueuit) animæ ipsorum è corporibus iisdem egressæ, ad loca conuentuum, quos agere soleant, ferantur. Atque vt id ipsum sese habere confirment, argumẽta quædam manifesta adducunt; qualia sunt, tã testimonia eorum, qui corpora ipsorum interea temporis, dum abfuerunt, quiete sineque sensu vllo iacentia conspicati sint; quam nominationes eorũ, qui illis, quoad animas, ad synodũ ipsorum proficiscentib. obuii facti fuerint: quibus præterea, quod eos illos ipsos,

quos se esse affirmarent, credere non valentibus, indicia quadam certa proposuerint, per qua ad fidem verbis ipsorum adhibendam commouerentur: vtpote quod hac vel illa; hoc, vel illo tempore inter sese collocuti fuissent. Aiunt insuper, quod hac vna ad synodos ipsorum proficiscēdi ratione frequentius quam alia vlla, quoties ex vna in regionem aliam traducantur, vti cōsuerint. PHILOMATHES. Equidem desiderio cum magno sententiam tuam hac de re audire cupio: quam ego certè fabulis anuum dum carnes assant, sermones cadentium simillimam esse puto. EPISTEMON. Rationes, me mouentes, vt ea, qua taliter memorantur, illusiones Diabolicas esse putē, sunt hæ. Primo, quod attinet ad eos, qui in bestiolas auiculasq; trāsformati per loca tam angusta & arcta penetrare posse narrantur: quātumuis facilimè credā, quod Diabolus per eius in aere operandi facultatē efficere queat, vt in tali bestiolarū forma compa-

reant

reant cum illemet ipse, tum alii quoq;: quomodo tamen corpus tam densum eo usq; contrahere comprimereq; valeat, vt per spatium loci cuiusque tam angustũ tamq; arctum penetrare queat? Tam paruum fieri, & interim tamen non minui; tam arcte contrahi, & dolorem interim nullũ sentire, id sibimet ipsi tam regulariter contrarium est, vt sibi nihil contrarium magis esse queat. Existimo, inquã, quod hoc quantitati corporis naturalis aduersetur haud minus, quã quod sacrificuli Papales de Deo in Missa ipsorũ transsubstantiato nugantur, corporis veritatis contrariũ. Ego profecto queẽadmodũ hoc ipsum, sic & istud, verum esse, credere non possũ. Quantitatem.n. talem habere, corpori naturali cuicunq; tã propriũ est, vt sine ea, nisi in spiritũ quendã transformetur, corpus naturale esse non queat. Etenim quãdo Petrus è carcere egrediebatur, ianuis ante egressum ei⁹, quãtũcũq; clausis omnib., id per nullã corporis ei⁹ cõpressionẽ fiebat, q̃ tãta angustia

esset, vt ipse per ianuas clausas pertrāsire posset, sed quod ianuæ Petro ipsi potentiâ ad id commotæ diuinâ, carceris custodibus hoc non percipientibus loco cederent. Insuper sciendum est, quod quoties huiusmodi quid accidit, inter opera Dei Diaboliq; comparatio nulla rectè institui possit. Quod ad formam ecstasios ipsorum, per quam sensus nec non animæ siue spiritus eorūdem è corporibus educti aliò traducantur, attinet; certum est, quod exitus animarum è corporibus earum definitio vnica solaque mortis sit. Longe absit, vt cogitemus, in potestate vllius diabolorū infernalium omniū esse, vt animas illas iterum corporibus earum restituat in tantum, vt homo rursum viuat, prout antea viuebat: eo, quod spiritum siue animam suam ipsius, vel potius semetipsum in corpus aliquod mortuum insinuare possit, illudque gubernare sic, vt homo viuens esse videatur; id quod & Necromātici vulgo factitare consueuerūt, prout superius me dixisse memini-

ministi, non obstante. Facere enim posse, vt anima aliqua humana cum corpore ipsius iterum coniuncta hominem viuum constituat; id verò Dei vnius opus est proprium. Addo quoq;, quod, ex quo anima semel è corpore eius egressa, ab eodemq; separata fuerit; in mundo amplius peregrinari non soleat, sed immediate ad locum requietis ipsius conferre se teneatur; vbi corporis eius cum ea reunitionem tempore iudicii postremi futuram præstoletur.

Iam, quod Christus & vates, hanc ad rem, de qua loquimur, quantũ spectat, miraculosè fecerunt; id ipsum cogitatione Christiani vllius factis Diabolorum modo planè nullo comparari potest. Ad notas illas, quas exhibent, vt contrarium sententiæ nostræ iam propositæ confirment, quod attinet; equidẽ sciendum est, quod malitiæ Diaboli facilimum sit, vt seruis eius media eiusmodi vera esse persuadeat. Diabolus enim spiritus cum sit, an cogitationes ipsorum ex illis eripere, spiritusque

eorundē adeo obtūdere & hebetare nō possit, vt dū corpora ipsorū tanquam mortuorum cadauera iacent, animab. (put in insomniis etiā fieri solere notū est, vtq; poetæ de Morpheo quodā carminibus ipsorum prodiderunt) formas locorum, personarū, rerum q; aliarum circumstantium sic obiciat, prout ipsi libeat: quo stultitiam ipsorum ludificetur? Quinimo, vt eis efficacia maiori imponat, an non iste hora illa eadem, per angelos alios commilitones eius, personas aliquas alias, modo planè simillimo, tam vehementer ludificari potest, vt eæ se præstigiatoribus eius obuiam venisse credant? & vt ita narrationes earum cum signis conueniant; quantumuis personæ & hæ & illæ seorsim examinentur? Iam, facta illa omnia, quibus præstigiatores iidem vel hominibus vel bonis eorundem noxam vllam intulisse, vel alia quæuis sese patrauisse sibi fallaciter imaginantur, per Diabolum ipsum, vel commilitones eius, tempore illo verè committi

pe-

potuerunt. Ita si probare vellent, quod hoc vel illo tempore extra se rapti aliò translati fuissent, per id, quod hunc aut illum, hoc vel illo tempore per veneficium peremissent; an Diabolus hominem illum tempore illo, quo ideos facturos intellexisset, perimere non potuisset? vt Deo id permittente, eos magis atque magis circumueniret, aliosque superstitiosæ credulitati deditos ad ipsi fidem adhibendam commoueret? Medium certe hoc manifestissimum omnium, rationibusque, quas iudicio meo, & super hac & rebus similibus aliis non naturalibus per confessiones ipsorum proditis inuestigare possum, conuenientissimum est. Atque per media hæc securè quidem nos tanquam inter Charybdin & Scyllam in huius rei fluctibus nauigare possumus. Inde namque sic informari poterimus, ne credamus, ex parte quidem vna, quemadmodum faciunt plerique, præstigiatores esse nullos; ex altera verò, ne eò in

ſania cum aliis pleriſque trahamur, vt in negotio hoc vera credamus eſſe innumera, quæ prorſus abſurda monſtroſaque exiſtentia, tam Theologiæ diuinæ, quam philoſophiæ humanæ totaliter aduerſari deprehendantur.

CAP. V.

ARGVMENTVM.

Facta præſtigiatorum, quæ in perſonis non ſuis ipſorum, ſed in perſonis exerūt alienis. Qua de cauſa plures mulieres quam viri arti huic addicti ſint. Quas res poteſtati magiſtri ipſorum confiſi, perficere poſſint. Quod remedium noxæ, quam quis ab illis ſibi inferendam vereatur, omnium certiſſimum opponi poſſe videatur.

PHILOMATHES. *Opinio tua rationib. pluribus, quam aliorum, qui tibi aduerſantur, ſtabilita eſſe mihi ſanè videtur. Quare, cum facta præſti-*

ſtigiatorum, quæ in perſona ipſorũ deſignare ſolent, explicueris omnia; perge iam docere, qualiter in perſonis alienis vim ipſorum exerere conſuêrint. EPISTEMON. *Circa facta, per eos in perſonis alienis exeri ſolita, tria conſiderãda ſunt. Primũ eſt forma conſultationis ſuper illis incipiendis. Secundũ eſt, partes eorum velut inſtrumẽtum. Tertium & poſtremum eſt, partes magiſtri ipſorum, facta illorũ talia in opus producentis. Quod conſultationẽ per eos ſuper factis hoc genus incipiendis inſtitutam attinet, ad eam temporib. fermè omnibus templa, in quibus ad adorandum magiſtrum ipſorum conueniant, vſurpare ſolent. Ibi magiſter ipſorum idem iſte quærit è ſingulis, quo faciẽdo cum primis oblectentur. Tum quilibet eorum proponunt ei, quidnã mali præcipue executioni dari cupiãt: ſiue vt diuitias conſequantur, ſiue vt eos, quorum odio flagrant, vlciſcantur. Iſte promittit ipſis effectum ſe daturum quicquid ab eo petierint; id quod ſine*

dubio libens facit: considerato, quod eos malè acturos esse perspexerit. Media igitur docet eos ista, per quæ, quod volunt, efficere possint. Et quia mulieres circa res ineptas futilesq; sese libēter occupare solere nouit, earum quibusdam mādat, vt cadauera mortuorū contūdant, eque talium contusione puluerē conficiāt, cum quo res alias, quas iste ipsis communicare solitus est, cōmiscerent. PHILOMATHES. *Prius verò, quam progrediaris vlterius, rogo te, permittas mihi, vt sermonis tui cursum verbo duntaxat vno, cuius tu de mulierculis loquutus, me recordari fecisti, interrumpam. Qui quæso fit, quod mulieres vel viginti artificio huic deditæ esse deprehendantur, vbi vir vix vnus aliqis ei addictus inueniatur?* EPISTEMON. *Ratio rei talis est facilis. Quemadmodum .n. sexus fœmininus fragilior est, quā masculinus; ita facili⁹ in crassos Diaboli laqueos incidit: prout illud ipsum verum esse nimis bene probatum est per id, quod*

serpens

ſerpens antiquus iſte Euam in principio circumuenit: ex quo tempore ſexui muliebri familiariorem ſe fecit. PHILOMATHES. *Nunc eò, vnde digreſſus es, ſi placet, redito.* EPISTEMON. *Alias quaſdam mulieres hoc ipſo conuentus eorum tempore docet, quod imagunculas è cera cœnove conficere debeant, vt per toſtionem earundem, perſonæ illæ, à quibus imagunculæ per eas denominatæ ſunt, ſenſim vel colliqueſcant, vel morbo quodam continuo laborantes exareſcant. Aliis quibuſdam lapides quoſpiam certos impertitur, per quos vt morbos in aliis ſanare; ſic in aliis excitare ſufficiant. Alias ueneficia tam rara mirabiliave docet, vt ea medicinæ profeſſoribus incognita ſint. Ipſe enim in cognitione rerum naturalium abditarum multo perſpicacior eſt, quã mortalium quiſquam. Non equidem, quod mediorum illorum, quæ diſcipulos eius iſte docet, vllum (exceptis tamen venenis, quæ omnia è rebus na-*

turalibus composita esse manifestum est) per semetipsum quicquam ad id, ad quod per veneficos aut incantatores adhibetur, adiumenti adferre queat; sed quod se rebus non duntaxat in istis, sed & in aliis omnibus Dei simium exhibere sibi volupe ducat. Quemadmodum enim Deus sacramentis, quod attinet ad ipsa, terrenis, effectum quendam cælestem, (quanuis nequaquam per cooperationem illorum cũ ipso id præstet) operatur: quemadmodum quoque Christus per terram & sputum commista, oculisq; cæci imposita perfecit, vt ille visum reciperet, quanuis in massa illa è luto sputoq; conglutinata, externeque cæci luminib. applicata, vis prorsus ad effectum illum producendum non inesset vlla: ita Diabolus quoque ipse media quadam externa, quæ indicia aliqua sint, demonstrantia; quod ipse virtuti istorum cooperetur; tametsi nulla planè vi cum illo cooperandi prædita sint, habere vult. Vnde palam fit, quod

Ioh. 9.

disci-

discipuli eius isti ignorãtes in hac quoque parte per eum tacite rideantur. Iam, quod effecta siue res partium duarum præcedentium in actum deductas; consultationem, inquam, mediaq; deinceps externa concernit; illa tam mirabilia sunt, vt ex illis sine rationum, quibus ea possibilia esse demonstrem, adductione, nihil in medium afferre ausim. Vt enim ineptias illas paruulas, per mulierculas agitari solitas, omittam; considerato, quod tales per se ipsas sine peruersione rerum vlla satis bene perficere queant mulierculæ: deque partibus artis ipsarum præcipuis aliquid adducam; partes eius principales sunt hæ: quod efficere possint, vt mariti & vxores sese amore vel econtrà odio prosequantur mutuo: id quod Diabolo facilimum est per eas ita perficere; qui spiritus subtilis sit, & quo modo affectus natura corruptos eorum, cum quibus vt ita agat, Deus ipsi permittit, vel ad amorem vel ad odium commouere debeat, satis superq; norit.

Morbos etiam ab aliis quasi deriuatos, corporibus aliorum velut instillare queunt. id quod Diabolo similiter factu facilimum est. Quia enim permissu Dei Iobum morbis grauare & afficere potuit: cur potestate eadem vti non possit multo longeque fortius aduersus alios, cum Iobo minimè comparandos? Etenim cum practicus antiquissimus sit, probè nouit, quales humores in nostrum quouis vno prædominentur: cum deinde spiritus sit, humores eosdem subtiliter satis excitare; &, vt iidem in corporibus nostris abundantes, nobis damnosi sint, efficere potest; prout ei nos excruciare libuerit, Deo ad id faciendum habenas eidem laxante. Iam, si morborum è corporibus ægrotantium exemptionem per Diabolum faciendam spectes; ille sine dubio lætabitur, si ei occasio idipsum faciendi detur; speranti nempe futurum, vt is, quemcunque à doloribus præsentibus liberatum valetudini pristinæ

stina restituerit, per hoc adducatur eò, vt tandem aliquando totus in retia eius, quæ illum sibi in æternum implicitum retentura sint, inuoluatur. Incantatores præterea & viros & mulieres adeo fascinare possunt, vt illos incantationibus per imaguncularum cærearum superius dictarũ, ad ignem tostionẽ, vita priuent. Nam & hoc magistro seu doctori ipsorum perfectu facilimum est. Quamuis.n.(quod ipsum superius etiam attigi) cæra illa, instrumentũ incantatorium virtute per sese nulla effectui tali producendo idonea prædita sit: an non tamen Diabolus mensura eadem, qua mancipia eius iurata cærã apud ignem liquant; temporeque eodem, quo cæra eadem liquatur, subtiliter, prout spiritus subtilis est, spiritum patientis vitalem tam mollem facere, sicque dissipare potest, vnde partim quidem fiat, vt ex illo (patiẽte) per calorẽ nimiũ humor corporis exudet: partim verò, attento, quod spiritus vitales nõ concurrant, eorundem-

quæ siue digestio siue consumptio causetur, vt stomachus excruciati tam multum debilitetur, vt eo humorem radicalem per sudorem emittente, & in locum eius exudati alium recentem non vllum recipiente, æger ad extremum non aliter atque cæra igni cuidã admota paulatimq; colliquata collapsaque in cinerem destillat, extinguatur? Hic Diabolus artifex & nequissimus & experientissimus iste, hominem potestati eius permissu Dei relictum, temporibus quibusdam certis, non continuis, excrucians, proportionem facit inter operationem cũ suam ipsius, tum mancipiorum eius tam accuratam, scopumque tam prope attingentem; vt, quãdo hi assandæ ad ignem imagunculæ cæreæ finem imposuerint, is hominem puncto temporis eodem extinxerit. Præterea turbines & tempestates in aere excitare possunt incantatores iidem: idque non minus super mari quam terra: quamuis id in terræ marisque partibus generaliter non omnibus,

mnibus, sed in locis tantummodo certis, in quibus Deus, vt homines affligant, id eis permiserit; terminos constituens, quos illis transilire permissum nõ sit. Tempestates etiam tales à tempestatibus naturalibus aliis, quæ meteora sunt, quibusuis, facilè discerni possunt. attento, quod quæ per incantatores subito nec non impetuosè excitatæ sunt, spatio tẽporis breuissimo durent. quales magister quoque ipsorum facile generare potest: quod cum spiritus ipse sit, aeri quam maximè cognatus esse videatur; quodque potestas aerem & formandi & commouendi pro ut ipsi libuerit, sicuti me superiùs vspiã declarauisse meminisse potes, ei concessa sit. In scripturis quippe sacris princeps aeris appellatur. Efficere possunt incantatores iidem, vt homo sensibus exutus furiis agatur. id quod doctori ipsorum non minus, ac aliud vllum, factu facile est: considerato, quod ægritudo talis naturalis sit; ideoque ægritudine eiusmodi hominem non mi-

nus afficere possit quam malis aliis vllis. Efficere quoque possunt, vt spiritus homines & sequantur, & excrucient; item, vt domos quasdam certas inhabitantes, possessores earundem perterreant. prout perspeximus per præstigiatrices harum terrarum temporibus nostris tale quid effectui datum fuisse. Efficere possunt, vt homines plerique per spiritus immundos inuasi, per eosdem possideantur: & id quidem ad dæmoniacorũ cæterorum quorumlibet instar. Atq; factum præstigiatorum postremum hoc Diabolo magistro ipsorũ facilimũ est omnium, cogitato, quod sine mora è numero cõmilitonũ angelicorũ eius quempiam, vt eum, quemcunq; Deus potestati eius huiusmodi subiicere voluerit, excruciet, amãdare queat. PHILOMATHES. *An igitur credibile est, quod Deus permittere velit, vt instrumẽta mala hæc, qualia præstigiatores & incantatores sunt, potestate Diaboli doctoris ipsorũ per mediorum iam recensitorum vllum*


lum quemquam ex iis, qui fiduciam ipsorum in Deo collocarunt, excruciet?
EPISTEMON. *Quidni? Genera enim hominum tria sunt, quæ vt ita tententur macerenturq́, Deus permittere Diabolo consueuit. Homines generis primi sunt mali: quibus Deus ob peccata eorum abominabilia id accidere ꝑmittit, eos ita propter iniquitates eorũ castigãs. Pios quoq́, sed in peccato quodam enormiore (qualia sunt imbecillitas, & morbus aliquis circa fidem) obsopitos, taliter affligi Deus idem concedit, vt eos è veterno ipsorum tali medio fortius, quam alio vllo expergefaciat. Optimos denique omnium virga talismodi cædi vult interdum; vt patientia ipsorum coram mundo patefiat: id quod exemplo Hiobi manifestum fit. Cur enim Deo liberum non esset, pœnis tam extraordinariis quibusdam, quam consuetis & ordinariis ægritudinum similiumq́ aduersitatum vti; siquidẽ id ipsi facere bonum videatur?*
PHILOMATHES. *Quis igitur a ma-*

chinationibus Diabolicis his immunis esse queat? EPISTEMON. *Nemini tam audaci esse licet, vt sibi ipsemet immunitatis vel tãtillum polliceatur. Vt vt enim Deus ab æternitate ipsa species tam afflictionum singularum, quam beneficiorum, quæ in hominum quemlibet conferre velit, præordinarit: nos tamẽ ob id, quodcunq; vel Diaboli vel instrumẽta istorum aduersum nos machinari possint, perterrefieri non oportet. Singulis enim diebus aduersus Diabolum modis aliis vel centenis digladiari compellimur.*

Ergo quemadmodum prudens aliquis militum dux non plus terretur dum in pugna versatur, nec ab instituto eius magis absistit ob tonitru generis armamentorum cuiusq; vel omnium maximi aduersus ipsum displosi, quam ob murmur aliquod leuiculũ bõbardæ; quod nesciat, an huius vel illius armamenti bellici displosi globus super eum lapsurus sit: ita quoq; nos in pugna aduersus Satanã susceptæ continuatione, sine

sine vlla pauoris, quẽ potius ex armis eius insolitis quã solitis, & iis ꝑ qua diebus singulis exercemur, percipere queamus, cogitatione maiore suscipienda; pergere quam strenuissimè decebit. PHILOMATHES. *An igitur licitum non est, vt auxilio præstigiatricis vllius a morbo per artem magicam nobis immisso conualescendi rationes ineamus?* EPISTEMON. *Modo planè nullo licitum illud est. Rationem autem rei huius tibi dedi per pronunciatum Theologicum, quod finem de Magia loquendi facturus adducebã,* Mala *videlicet* vt inde bona existerent, facienda non esse. PHILOMATHES. *Quomodo igitur à morbis istiusmodi quis iterum sanari, valetudinique pristinæ licitè restitui potest?* EPISTEMON. *Valetudo pristina recuperari tantummodo potest, per orationem ad Deum ardentem; per vitæ emendationẽ; deniq; per id, si quilibet secundum vocationem ipsius instrumenta Satanica, qualia præstigia-*

tores siue incantatores sunt, quam seuerissimè persequens efficiat, vt supplicio mortis afficiantur: quæ pœna mortis ipsis inflicta sacrificium pro patiente salutare apud Deum futura sit. Et ratio hæc a morbis per incantatores immissis conualescendi non solum maximè legitima, sed & omnium securissima est. Etenim per Diabolum vnum Diabolus alius eiici non potest, prout
Marci 3. *Christus ipse pronunciauit. Et certè, tametsi sanitas per rationem curæ peruersam hanc obtenta spatio temporis duret breuissimo; ea tamen tempore illo decurso sine dubio vllo in perniciem patientis conuertetur extremam: tum quoad corpus, tum quoad animam eiusdem.*



CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

Cuiusnam generis homines plus minusve damno per incantationes accipiendo obnoxii sint. Qua potesta-

testate præstigiatores ad magistratũ malo aliquo afficiẽdum, & quo respectu potestate vlla, dũ in vinculis siue carceribus detinentur, præditi esse videantur. Quo fine Diabolus illis in vinculis iisdem vel possit vel apparere velit. Cuius rei consideratione Diabolus in forma diuersa plerisq; præstigiatorib. tempore vllo se præsentem exhibeat.

PHILOMATHES. *Quis vero tam confidens sit, vt Incantatores supplicio subiicere tentet; cum nemo certus esse possit, ab eorum inuasionibus, minime naturalibus, securum se futurum esse?* EPISTEMON. *Equidem minimè decet, vt a virtute complectenda nos abstineamus ob id, quod via, per quam ad eam reptando ascendere nobis opus est, & angusta & periculosa sit. Iam, cum mortalium omnium nulli tam obnoxii sint ad malum ab incantatoribus accipiendum, quam tales qui in*

fide imbecilles & teneri ſunt, quod fides clypeus, qui inſultibus iſtorum obiiciatur, & obtendatur, optimus ſit; ita præſtigiatores poteſtatem aduerſus alios nullos habent minorem, quam aduerſus hos, qui eos ſeuerè Zeloque cum magno perſequuntur; rei mundanæ, quæ eos ab hoc faciẽdo abſterrere queat, reſpectu nullius habito. PHILOMATHES. *Igitur incantatores indole ſunt eadem, qua peſtis: quippe quæ nullis aliis infeſtior eſſe deprehendatur, quàm ſolis iis, qui eam plus quam cæteri fugientes, periculum eiuſdem quam maxime timere conſuêrunt.* EPISTEMON. *Ita profectò res planè ſe habet, vt ais. Incantatoribus enim impoſſibile eſt, vt cura vlla morbo per eos affectum iuuẽt; niſi morboſus idem fiduciam eius in ope ipſorum collocatam fixamque habeat; ſic ſalutem animæ in periculum cõiiciens extremum. Poteſtatem quoque nocendi nullam minorem habere poſſunt aduerſum mortales alios vllos, quã ſolos eos, à quibus*

bus omnium minimi fiunt: modo contemptus ille è fide firma erga Deum, neque è præsumptione vlla illorum erga se ipsos & leui & inani ꝑmanet. PHILOMATHES. *Quæ verò potestate præditi sunt aduersum magistratus?* EPISTEMON. *Nunc minore, nunc maiore; ratione modi, quo magistratus cum illis agit. Etenim si magistratus in illis supplicio persequendis negligentior sit; dubitandum non est, quin Deus permittat, vt incantatores instrumenta sint, per quæ pœnas ab eis ipsorum dignas negligentiâ petat; vt per pœnas has illos è somnolentia ipsorum expergisci compellat. Quod si magistratus idem ipse in partem contrariam secundum legem Dei, leges item nationum omnium laudabiles alias, in inquirẽdis nec non puniendis illis solertem diligentemque se præbeat; tum Deus magistro siue doctori præstigiatorum, vt operi eorum tam bono vllatenus impedimento sit, nequaquam permittet.* PHILOMATHES.

Verum, an ex eo tempore, quo in manus aliorum & custodias eorundem venerunt, artis ipsorum præsidio facultatis vllius amplius sunt? EPISTEMON. *Hac de re secundum formam illam, quâ custodiuntur, iudicandum est. Quodsi apud hominem quendam priuatum apprehensi, penes eundem custodiantur, inspectioni itidem aliorum priuatorũ commissi sint; tum sine dubio potestas eorum siue ad aufugiendum, siue ad damnum cæteris hominibus, eorundemve bonis, inferendum non minor: quam quanta fuit aliàs, erit. Econtra verò, siquidem per magistratum qui legitimè constitutus, eos post culpæ, cuius ob artis cognitionem obnoxii facti fuerint, inquisitionem comprehendi iussos apud sese adseruet constrictos; ex eo tempore potestas eorum, non amplius tam magna est, quam fuit tum, quando cum doctore ipsorum familiariter adhuc conuersarentur. Quamprimum enim Deus incipit per locum eius tenentem legi-*

legitimum in eos prout meriti sunt, animaduertere; tunc in potestate Diaboli amplius situm non est, vt ipsum in executione officii iniuste impediat, vel eundem officio eodem, & sceptri vltoris effectu prorsus exuere vel spoliare possit. PHILOMATHES. *Atqui magister siue doctor ipsorum, an ex eo tempore, quo custodiæ mandati sunt, eos nunquam visum se confert?* EPISTEMON. *Hac de re secundum statum, in quo miserabiles isti tum temporis constituti sunt, statuendum est. Etenim si eos ad eum abnegãdum pertinacius rebelles offenderit, tum lapidem omnem mouebit, vt occasione ad id faciendum adepta, sermones cum illis conferre possit; eum videlicet in finem, vt si consolatione vlla fultos confirmatosque esse persentiscat, eos magis magisque spe liberationis per effugium eruptionemque futura fulciat; vel, si eosdem econtra desperabũdos deprehenderit, studio quammaximo ad istud vnicum incumbet*


vnice; vt eos desperatione adhuc multo maiore adimpleat; suadens similiter, vt medio quocunque extraordinario, & alio ab eo, quo iussu magistratus è medio tollendi videantur, vita se priuent ipsi. id quod frequenter facere solere, experientia docemur creberrima. Quod si verò tales sint, quos vita anteacta pœniteat, quique mala, quæ perpetrauere, deplorent; tum Deus Diabolo nequaquam permittit, vt eos præsentia eius illecebraque diutius excruciet vlla. PHILOMATHES. E verbis itaque tuis perspicuum fieri animaduerto, quod consultum minimè sit, vt ministrorũ Diaboli nunc incarceratorum quisquam consilio eius vtatur. Scire verò quammaximè vellem, quanam forma assumpta ipsis in carcere conspiciendum se præbeat. EPISTEMON. Forma diuersa se conspiciendum præbet eis & tempore & loco non aliter, quam solitus erat aliàs. Apparet autem artificibus eiusmodi (quemadmodum de

Ma-

Magia verba faciens tibi dixi) communiter in forma illa, de qua inter ipsos, dum inter sese contraherent, conuentum est: prout aliis, artem adhuc discentibus, secundum qualitatem circulorum adiurationumque ipsarum contemplandum se præstat. Quod quamuis ita sit, captiuis tamen infelicibus his conspicuum se facit, prout ipsi lubuerit, & secundum modum illum, quem humoribus eorum magis magisque deprauandis maximè idoneum esse perspexerit. Nam, & in conuentibus eorum publicis apparet his in forma alia quam illis. prout è confessionibus ipsorum, quod quæstionem hanc attinet, intelleximus. Impressionibus enim meris, in aere designatis, ministrorum eius generi omnium crassissimo formidabilissimus apparet, vt per formam formidabilem istam commoneantur ad eum magis obseruandum & honore prosequendum, quam aliàs facturi non fuissent. Forma vero minus difformi sordidaque sorti mi-

nistrorum eius artificiosiori conspiciendum se præbet; ne iidem econtra ob formæ eius inelegantiam fœditatemque perterrefiant. PHILOMATHES. *Cum verò corpus eius aerium sit, qui fieri potest, vt a ministris eius tangi queat; quod ab illis id tangi posse, iidem persæpe confessi sunt ipsi?* EPISTEMON. *Quamuis ego quidem hac de re in confessionib. ipsorum audiam perparum; tangibilem tamen facere potest se ipse; siue id per assumptionem cadaueris cuiusdam & vsurpationem eiusdem, siue per modum alium quempiam mortalib. illudendi causa faciat: idquod ipsi factu impossibile non est: attento, quod sensus nostri, qui creaturæ valde infirmæ sumus & imbecillæ, per morbos ordinarios sæpenumero cuncti falli decipique posse videantur.* PHILOMATHES. *Ego vero, præter hæc, verbum quoddam vnum, apparitionem eius coram præstigiatoribus in carcere concernens, ex te perlibenter audire vel-*

vellem. Verbum istud hoc est, an quis præter eos alius, qui forte tũ temporis in carcere præsens sit, eum non minus videre possit, quam istimet ipsi. EPISTEMON. *Eum talis aliquis interdum videre potest non minus, atq; præstigiatrices aut præstigiatores ipsimet; interdum econtra videre non potest: prout id Deo permittere visum est.*



CAPVT VII.

ARGVMENTVM.

Genera Diabolorum visibiliter in terra versantium duo. Rationes cur genus eorum illud quidem tempore Papatus magis spectatũ; hoc verò post papatum fuerit reuelatum. Potestatẽ Diabolicam velut impossibilẽ negantes, potestatẽ Dei ipsius negantes, erroris Sadducæorum obnoxii sunt.

PHILOMATHES. *An ergo Diabolus potestate præditus est tãta, vt & aliis, præter quam discipulis eius,*


ei iuramento dicatis, visibilem prabere se possit? considerato cum primis, quod oracula aliaque id genus fallacia temporibus his defecerint, & per aduentum Christi salutiferum prorsus exinanita sint. EPISTEMON. Tametsi verum sit, quod per Euangelii claritatem aduentu Christi mortalibus allatã, nubes errorum huiusmodi crassorum, per quos animi gentilium occupati fuerunt, dispulsa disiectaque fuerint omnes; spiritus tamen huiusmodi fallaces post tempus illud ipsum quandoque comparere non desiisse; experiẽtiâ quotidianâ docemur. Modorum sane duorum, quibus Satan visibiliter in mundo conuersari solet, discrimen diligenter obseruandum est. Ex his vnus est, quo Euangelium per mundum vniuersum propagatum, nec non victoria per eũ, qui equo isti albo, de quo Apocalypsios capite sexto mẽtio fit, obtenta, vehementer impedita, & , vt ita loquar, rara facta fuerunt. Modus hic mali istius apparitio est: quo

quo Christianis quibusdam apparens, excruciat eos & macerat externè; eosdemque arctius ita possidet, quam aliâs essentia eius præsentia reali internè possidere consueuit. Modus alter illo communior, post papatus manifestationem frequentius per eum vsurpari solitus, Magia, præstigiatio, incãtatio illicita, legibusque nullis permissa est. qua de vna tractare nobis ab initio propositum fuisse nosti. Modum hunc verum esse, nos in Hybernia per experientiam, diebus singulis contingentem, vt credamus, conuincimur. Ut enim nostrum cuilibet est notum, spiritus & spectra tẽpore Papatus cœcissimi in regionibus his ipsis dominatum adhuc tenentis, plura visebantur, quam lingua mortalis vllius fando in medium proferre possit: de quorum spectrorum in partem contrariam ne vnico quidem, sæpe quispiam quamdiu viuit, auditione famave quicquam percipere solet. Ars tamen hæc illicita nec non impermissa tum tẽporis


multo rarior erat quam nunc: sermones de eadem quoque non tam multi, quã nunc, spargebantur; Incantatores & Magi tum temporis numero non tãto deprehendebantur, quanto nunc. PHILOMATHES. *Quamnam tu rei talis putas esse causam?* EPISTEMON. *Genera peccatorum multiplicium diuersorumque nostrorum faciunt, vt Deus, iustitia illius id ipsum postulante, genera pœnarum nobis diuersa, & ita cum peccatis proportionaliter conuenientia, immittat. Hinc ergo, quemadmodum tempore Papatus, quo maiores nostri crasse, nec non per ignorantiam quandam supinam vagantes errabant, nubes errorum Diabolum sic obumbrabat, vt multo familiarius, q̃ aliàs facere nõ potuisset, in illis conuersaretur; errores illorum pueriles, pauoribus infantilibus incutiendis eos & ludificans & incusans: Sic econtra Deus tempestate nos hac præsente in religione quidem sanos, in vita verò tota professione doctrinæ rebelles, iustè culpans;*

pans; vitam nostram professioni per peccatum rebellionis malitiosum repugnantem tam seuere, nolit velit, punire cogitur. PHILOMATHES. *Verum, quia sermo tuus eò te perduxit, vt de spirituum spectrorumve apparitione locutus sis; equidem valde lætarer, si sententiam tuam de apparitione hac ipsa ex te audiendo percipere possem. Quemadmodum enim superius etiam dixi, permulti sunt, qui spiritus tales vllos temporib. hisce præsentibus apparere solere negant.* EPISTEMON. *Profectò. qui potestatem Diaboli negare non verentur, iidem (nisi id eos facere puderet) potestatem Dei ipsiusmet negare non dubitarent. Etenim, cum Diabolus Deo directè sit oppositus, via Deum cognoscẽdi melior nulla reperietur, quam contrarium ei (Deo) oppositũ; cum nimirũ cõsiderata potestate Diaboli (quantũuis ille creatura tantum sit) quilibet admirationis operũ Dei creatoris occasionẽ nãciscatur: & per falsitatẽ istius, veritas hui⁹;*

per austeritatem istius, misericordia huius; per cognitionem qualitatum istius, qualitas huius intelligi perspiciq; possit. Ego vero vereor non parum, ne Sadducei noui nimis multi per mũdum disseminati pullularint, spiritus generis cuiuscunqu: cum Sadduceis veteribus istis abnegare nõ erubescentes. Sed ad errorem istorum conuincendum tametsi rationibus aliis, quæ quamplurimæ sunt, destitueremur; sufficeret tamen hæc vna, quod Deus interdum permittat, vt spiritus eiusmodi nonnullis quandoque sese visibiliter conspiciendos exhibeant.



INSTI-



INSTITVTIONIS contra Magiam, LIB. III.

ARGVMENTVM.

Apparitio ſpirituum qualiũcunq; malorum tamen & impurorum, cum viros, tum mulieres excrucian- tium & vexantium. Ad extre- mum colloquii præſentis epilogus.

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

Spirituum in genera quatuor diſtri- butio. Genus ſpirituum primum, qui nomine ſpectrorum & vm- brarum mortuorum vocari ſolẽt. Remedium per quod aduerſus vexationem eorum ſecurus eſſe poſſis, omnium prꝗſtantiſſimum.

Spectra nec non vmbræ mortuorum.

PHILOMATHES. *Itaque te rogo, quid hac in re fabuloſum,*

quid econtra verum, ideoque credendum esse putes, exponere pergas. EPISTEMON. *Genus Diabolorum super terra conuersantium in species quatuor diuersas distribui potest: per quos omnes Satan corpora mortalium & terrere & vexare cōsueuit. Etenim de peccatis animarum, & pœnis ob eadem earundem antea loquutus sum. Genus primum eorum est, qui domos quasdam certas, locaq; solitaria inuadentes ea occupant. Secundum eorum est, qui personas quasdam persequentes, temporibus quibusdam torquent & macerant easdem. Tertium eorum est, qui realiter in homines ingredientes possident eosdem. Quartum & postremum eorum est, qui vulgo* Eluæ *vocari solent. De speciebus quatuor harum tribus, in præcedentibus audiuisti: & quod modo quodam artificioso, magico nimirum, fieri possit, vt tales hominum vexandorum potestatem nanciscantur, perspicere potuisti. Iam restat vt hic de arte eorum (vt ita dicam)*

cam) naturali perq; artem quandam magicam minimè comparata & adepta verba deinde faciam. Prius autem quam facere aggrediar idipsum, rei te cuiusdam præmonendũ esse duco: huius nimirum; quod quãtumuis in discursu meo de spiritibus his habito, eosdem in genera quædam certa distribuerim; hoc tamen non obstante, circa meum ea de re sermonem obseruare te oporteat, quod spiritus eiusmodi re vera generis eiusdem sint; qui, quoniam ad homines tanto facilius fallendos & formas & consuetudines actionum externarum diuersas aßumunt, & ita se gerunt, quasi alius eorum alio dignior & melior sit, occasionem mihi præbuerint, vt eos in species quatuor tribuere veritus non sim. Nunc, vt ad propositum meum reuertar, quod speciem eorundem spirituum eiusmodi primam concernit, ii per antiquos nominibus diuersis appellati fuerunt, prout effecta eorundem diuersa esse deprehensa sunt. Ete-

nim si in domibus quibusdam frequẽter conuersantes in formis quibusdam diuersis iisdemque formidabilibus apparerent, turbasq; magnas excitarent; lemures, Bullemanni *seu spectra vocabant; Si vita defuncto sanguinis propinquitate cuipiam coniuncto conspiciendos sese offerrent, vmbra mortuorum nominabantur. Ea ratione fiebat, vt spiritus isti, (quemadmodum dixi) ratione actionum innumerabilium nomenclationes innumerabiles adipiscerentur. Experientia quoque docet equidem nos ipsa, quod spiritib. eiusmodi lingua quoque nostra, nomina pro multitudine actionum per eos designatarum imposuerit non pauca. De spirituum generis huius apparitione per Scripturam quoq; sacram reddimur certiores. Etenim vates Esaias capite cùm tertiodecimo, tum trigesimoquarto Iudæis Hierosolymæ vastationem minando denuncians, apertè dicit, quod Hierosolyma non modo destruenda sit, sed & in ea solo adæquata,*

Sic Belgice forte vocati, quod strepitũ quẽdam excitantes, id globulis proiiciẽdis efficere putarentur.

noctuæ,

noctuæ, sihim & ohim, *aues habitaturæ sint: quorum nominum postremis duobus, velut Hebrais, spiritus hi propriè expressi fuerunt. Qui spiritus loca solitaria frequentare solent ob hoc, vt homines ad eadem commeantes non solum terreant, sed & fidem in illis erga Deum rectam è fundamento eius euertant. Homines enim naturaliter ita comparati sumus, vt complures nostrum vnà conuersantes pauore talismodi quopiam non tam facilè percellamur, quàm si singuli contra soli vagemur; id quod cum Diabolus probè norit; equidem nobis non facilè insultabit, nisi quando nos & solos & infirmos offenderit. Præter hoc Deus etiam spiritibus immundis his permittere non vult, vt in publicis Christianorum conuentibus & societatibus visibiliter versantes dedecore dehonestent eosdem. Vnde perspicuum fit, quod, si Deus econtrà permittat, vt Dæmones in domos aliquas per homines habitatas ingressi, maneant ibidem; signum*

id sit, ædium istiusmodi possessores aut valde ignorantes, rerumque diuinarum inscios esse, aut peccatum enorme quodpiam, quod DEUS *in iisdem per virgam hanc inusitatam castiget, admittere non dubitasse.* PHILOMATHES. *Per quam vero viam, per quem, rogo te, transitum in domos istas spiritus isti penetrare possunt? attento consideratoque, quod confiteantur, sese in eas introire solere tum, quando & ianuæ & fenestræ clausæ sunt omnes?* EPISTEMON. *In domos equidem istas ingressum eligunt istum, secundum habitum, quo tum sunt, quando in eas ingredi volunt. Etenim, si cadauer hominis mortui, in quo semetipsos hospitentur, assumpserũt; tum sat facile sine strepitus vllius excitatione, vel ianuam, vel fenestrã quandam aperire, eandemq; in domos ingressi artificio eodem quo paulo prius aperuerũt, posterius iterũ claudere nouerunt. Si cadaueribus econtra non assumptis in eas ingredi velint;*

tum

tum rimula quæuis per quam vel aura spirare queat, illis ad ingrediēdum latitudinem sat amplam præbebit. Spiritus enim, (vt antea quoque dixi,) conditioni magnitudinis vllius obnoxius non est. PHILOMATHES. *Permittitne Deus, vt spiritus hi mali requietem corporum mortuorum antè, quam è mortuis resurrexerint, turbet? Quodsi Deus istis tale quid pmittat, credo quidem ego, quod potestatem eiusmodi illis in cadauera reproborum tantummodo, non electorum simul, concedere dicendus & credendus sit.* EPISTEMON. *Quando turbatur cadauer hominis vita functi in ei⁹ requiete magis? Tumne quando Diabolus idipsum in sepulchro indutum, & aliquopiā asportatum, aliquandiu ad scelera eius multo cōmodius quàm nequiuisset aliâs, patrāda vsurpat; an tū, quando præstigiatrices id assumētes, vt ita dicam mutuantur; an tum, quando porci sepulchra, radices aut vermiculos rimantes, rostris ipsorum effo-*

diunt? Requies cadaueris hominis vitafuncti non consistit in eo, vt illud ipsum sine intermissione in certo quodam loco permaneat immotum; sed in liberatione eius a molestiis mundanis omnibus, quibus in vita præterita fuit obnoxium, non in inquietationib. huiusmodi, de qualibus tu loqueris; a quib. & ipsis post diem iudicii postremi prorsus immune erit, quando denuo cum anima coniunctum, & pro se & pro anima illa ipsa beatitudinis æternæ fruitionem plenariam adeptum fuerit. Iam, quod Diabolo permissum sit, seruitio corporum tam fidelium, quam infidelium in parte hac vti, id absurdum profecto non est. Corpora enim fidelium, ex quo mortui sunt, per vsum ad res eiusmodi non pollui, apparet ex eo, quod animæ corũ in ipsis non amplius inclusæ, absint ab illis. Iam, quomodo ex ea re ipsis ignominia maior inferri potest, quam per suspensionem, per decapitationem, per genera denique mortis alia & probrosa & igno-

gnominiosa complura, quibus eorundem nō pauci coronari solent, piis Deique colentibus hominibus, infertur? In corporibus enim fidelium nihil vel honore dignius, vel a corruptione naturali immunius, quam in corporibus infideliū, usq; ad tempus illud, quo purgabuntur & gloriosa reddentur; tēpore nimirum iudicii postremi, reperire est. Ante tempus hoc ipsum Diabolus corporibus hominum fidelum non minus quam cæterorum non fidelium, uti potest; non aliter, quā quotidie videmus, quod fideles morbis deformib. non minus obnoxii sint, quam infideles ipsi: quemadmodum per me clarè probatū fuisse tū, quando de dæmoniacis verba feci, perspicere potuisti. PHILOMATHES. Quid vero dices ad hoc, quod reperiantur nonnulli, qui quod in locis talibus, in quibus spectra versari dicerentur, versati fuerint & ipsi, nihil interim spirituum siue spectrorum ibidē se vel vidisse, vel audiuisse, dicere non vereantur? EPISTEMON. Id ita

fieri potuisse, mihi veritati dissonũ non videtur. Soli vero cognitioni Dei nobis absconditæ hoc ipsum reseruatum est, qui Deus spiritus istos reuelans alijs, alijs inconspicuos esse vult. PHILOMATHES. *Quod autem remedium spiritus hos ipsos, si quidem domos aliquas ingressi, frequentent, ex eisdem fugandi profligandiq; præsentissimum est?* EPISTEMON. *Per media tantum duo spiritus hi alicunde fugari queunt. Prius, est oratio siue precatio feruens, cum per personas illas, quæ domi ipsarum per spiritus istiusmodi vexantur; tum per Ecclesiam, cuius pars illæ sunt, ad Deum facta: posterius, est eorum qui per spiritus istos inquietantur, purgatio talis; vt vitam corrigentes, a peccatis istis, quæ ipsis noxã eam inusitatam causata fuerunt, in posterum desistant.* PHILOMATHES. *Quid autẽ spiritus isti, qui in specie hominis cuiusdã vel iam vita recenter defuncti, vel propediem eadem defuncturi, consanguineis aut*

amicis

amicis apparet, designare putādi sunt? EPISTEMON. *Quando in forma talismodi sese spectādos offerunt & exhibent, tunc lingua nostra* Vorschinsels/ *quasi* præapparentias *aias, appellari solet. Inter paganos spiritus aliquis huiusmodi frequenter apparere cōsueuit, vt eis persuaderet, crederet spiritum ipsum quendā bonū esse, qui conspicuus eis fieret, vt eos de futuro amici cuiusdā ex hac vita discessu certiores faceret; aut voluntate vita iam tum defuncti notificaret; vel etiam, quib. de causis vitam cum morte commutare coactus fuisset, declararet. quemadmodū in libro historiæ prodigiosæ legere est. Et sanè per hæc gentilibus imponere facilimū ei fuit; quippe quos notitia Dei non vlla præditos inueniret. Ad finem vero prorsus eundē conspicuū se facit, tēpestate simul hac præsente. Christianis quibusdā, religionis interim nō gnaris. Neminem enim cui illusiones eius notas esse scit, ita ludificari præsumit. Spiritus enim, vel anima eius, qui ex*

vita hac emigrauit, ad amicorum superstitum neminem redire potest, vt eum de statu eius reddat certiorem. Iam, quod de anima vita defuncti in medium attuli; idem de geniis quoque bonis accipiendum est. Talium enim nullus forma vlla assumpta tale quid hominibus declaratum vadere cõsuêuit. PHILOMATHES. *De lycanthropis autem nostris quidnam statuendum putas? Eosne cum præcedentibus eosdem esse statuis? attento quod & isti in domibus quibusdam certis versari consuêrint.* EPISTEMON. *Equidem opinio priscorum de his eadem fuit, quæ & de illis. Apud Græcos enim* λυκάνθρωποι *vocantur, qui Latinè* lupi-homines *per appositionis formam, vel voce vna (si nobis aliquid audere liceat)* Luphomines *fortè melius quàm aliter, esse dicerentur. Sed, vt ego sentẽtiam super hacce re meam tibi simpliciter aperiam, statuo equidem, quod, si* λυκάνθρωποι *generis istius vlli tempore vllo extiterint; tales vt ex-*

iste-

isterent, melancholiam naturalem, nimis in illis abundantem, nimisque magnam, causatam fuisse. Melancholia namque talis, vt legimus, effecit; vt aliqui ex ea laborantes sese vrnas, aliqui equos, aliqui genus bestiarum aliarum quoddam esse, sibi certissimo certius persuaderent ipsi. Quæ res profecto facit, vt iudicare cogar, q; temporibus etiam nostris melancholia imaginationem, memoriam, sensusq; nonnullorum omnes tā vehemēter corruperit, perque interualla quædam lucida tam potenter occupauerit, vt lupos sese verissimos esse putarint ipsi. indidemque incessum luporum super manibus & pedibus non alium ab isto, quo lupi naturales ingredi solent, ingredientes expresserint; adeoq; & mulieres & infantes dilacerare cupiuerint; cum canibus item villaticis omnib. ringendo cōtenderint, multisq; gestibus aliis potius irrationalium bestiarum, quam hominum rationalium propriis vsi fuerint. Vnde factum arbi-

tror, vt per efficacissimam rerum taliũ apprehensionem comprehensionemque sibimet ipsi lupi rapaces videretur esse. in cuius generis aliquam bestiam Nebucadnezarem Babyloniæ regem mutatum fuisse, talemque per septennium mansisse constat. Iam, quod pilos habeant & abscondant, quod item cutis eorum villosa sit; id ego potius famam quandam, de illis per authorem m[illegible]daciorum omnium inter homines sparsam, quam veritatem esse puto.

CAP. II.

ARGVMENTVM.

Descriptio generis spirituum duplicis, eos de quib. in modo præcedentib. actum est, proximè sequentis: quorum illud personas vel homines forinsecus persequitur: hoc personas easdem quas infestat, possidet intrinsec⁹. Ex quo prophetię nec nõ visiones omnes defecerunt, spiritus, in quali quali forma compareãt, spiritus mali censendi sunt omnes.

PHI-

PHILOMATHES. *Perge nũc ad genera spirituũ speciei huius duo reliqua declaranda.* EPISTEMON. *Quod ad genera spirituũ horum duo reliqua spectat, quidam illorum homines externè quocunque eunt sequentes vexant & infestant: quidam homines eosdem internè possidere solent. Quæ duo, considerans, quod causæ, quæ faciunt, vt homines eorum vexationi exponantur, & in his & in illis eædem sint: iudicium quoque de remediis, per quæ homines tales a spirituum talium vexatione liberari curarique possint, idem re ipsa esse, deprehendi queat; ego quidem ad genus vnum redigere non dubito.* PHILOMATHES. *Quales ergo sunt isti, qui taliter excruciari solent atque vexari?* EPISTEMON. *Tales præcipuè generum duorum sunt. Illorum enim quidam per facinora sceleraque ipsorum nefaria meriti sunt, vt flagello tam terrendo flagellentur: quidam contra sunt tales, vt quanquam illis natura*

meliores Deique reuerentiores in regione ditioneve proxima non inuenias alios vllos vniuersa; Deus tamen, vt modo tali per spiritus tales affligantur, permittat: & permittat id quidem; tum vt & patientia ipsorum probetur, & Zelus in ipsis erga pietatem excitetur; tum vt ii, qui eos ita vexari cõtemplantur, ne nimis multum in semetipsis confidant, admoneantur; cogitato consideratoque, quod & è materia ipsi non meliore compositi, & fortasse peccato non minore contaminati sint, quam hi, tam misere vexati: secũ-

Luc. 13. *dum id, quod Christus de Siluntis habitatoribus, super quorum quosdam turris ipsorum collapsa extinxerat eosdẽ, affirmat. Addo quod contẽplatores occasionem ex infortunio talium, quos ita cruciari conspiciunt, Dei laudandi arripere debeant; quod, quamuis meritos se esse sciant, vt modo tam terribili puniantur & ipsi; Deus tamen pœnas illis non modo nullas infligat, sed & saluos eos ab eiusmodi spirituum*

malorum vexatione conseruare non intermittat. PHILOMATHES. *Rationes à partibus Dei & bonæ & multæ sunt, quibus euidenter commoueatur, vt Diabolo, tales mortales affligendi, potestatem concedat. Interim considerato, quod Diabolus in omnibus illis, ad quæ conficienda Deus istum mittit, scopum à scopo Dei diuersum habeat ipsi præfixum; oro te, quis Diabolo scopus, ad quē quasi collineet, hac in re propositus esse videatur, declares.* EPISTEMON. *Scopus ei propositus duplex est. Etenim, si possit, per actiones huiusmodi duorum fieri compos exoptat. Vnum est, vt iis, super quos imperium adeptus est, aut vitam eripiat; id quod, dum eos in loca tam periculosa tum temporis, dum eos vel sequitur exterius, vel possidet interius, adducit, facere quamfacilimè posset: aut certè corpora eorundem, si quidem Deus id ei permittat, debilitet; in morbos ea conijciens insanabiles, per tormēta quibus infestat: Alterum, quod*

per vexationem eorum talem conse-quuturum se sperat, est perditio animarum cuiuslibet ipsorum: quos per suum aduersus eos agendi modum eò adducere conatur, vt Deo diffidentes, execrentur eundem: siue doloribus eos tam importabilibus afficiat, quam fuerunt ii, quibus Hiobum macerabat: siue illis promittat, quod ab eis infestandis abstinere velit; modo polliceantur ei, sese vel hoc vel illud in gratiam eius, recompensationis causa, facturos esse. id quod temporibus hisce nostris confessione puellæ cuiusdam iuuenculæ, per eum modo simili vexari solitæ, cognitum perspectumque fuit. PHILOMATHES. Quoniam de generibus spirituum horum duobus sermonem executus es, eosque sub genus vnum redegisti: facere aliter non possum, quin pedem quasi referens retrorsum, quæstionem singulam de spiritibus hisce singulis tibi proponam seorsim. Et primo quidem, quod ad spiritus illos, qui personas quaspiam cer-

certas sequuntur, attinet; duplices eos esse tibi ignorandum non est. & illos quidem eos, quos sequuntur, vexare; hos verò contra his, quib. se adiũgunt, in necessitatibus eorũ cunctis inseruire solere, & inseruire quidem sic, vt momento temporis ne vnico quidem eos de periculo quodam subito, in quod aliâs ex improuiso casuri fuissent, præmonere negligant. Quod cum ita sit, equidem scire percuperem, num genus spirituum posterius hoc malum, damnationique non minus, quam prius illud destinatum esse, putandum sit: an verò posteriores hi potius angeli boni sint, (quales eos esse è factis ipsorum apparere videtur) cœlitus ad tuitionem defensionemque eorum, quibus ipse præ cæteris bene vult atque cupit, à Deo missi. In literis enim sacrosanctis scriptum extat, quod Deus angelorum legiones amandet, qui super electis eius excubias agẽdo vigiles, conseruent eosdem. EPISTEMON. *Mihi quidẽ perspectũ satis est, vndenam error iste,* Gen. 32. 1. Reg. 6. Psal. 34.

cuius tu mentionem facis, ortus sit. Etenim gentes Dei veri prorsus ignaræ, erroris huius causa efficiens adeo sunt; vt ex illorum cerebris non aliter, quam aqua è fonte promanârit. Gentes istæ, quia Deum non nouerunt; igitur in cogitationibus ipsarum ipsis imaginata fuerunt, quod hominum quilibet sine intermissione genios duos sibi comites haberet: quorum alterum, bonum; alterum malum vocitare consueuerunt. Græci illum, εὐδαίμονα· hunc κακοδαίμον nominarunt: quorum alter (prout gentes affirmabant) hominem ad bonum omne quodcunque faceret, faciendum moueret: alter econtra eundem ad mala illa, quæcunque in vita patraret, incitare non cessaret. Nos autem, qui Christiani sumus, & per vmbras gentium plus quam Cymmerias non incedimus; gratia Dei (pro qua eidem gratiarum actiones debetur æterna) sat scimus, quod spiritus Dei veri vnus ille fons est boni omnis, mouens nos ad bonum & cogitandum & effe-

Ctui.

ctui mandandum. Et quod econtra cùm caro nostra corrupta, tum Satan sint isti, qui nos ad id, quod bono contrarium est, committendum commoueant & inflectant. Hoc tamen non obstante, Diabolus (vt errorem hunc in capitibus Christianorum quorundã ignarorum maleque fundatorum confirmaret) inter spiritus generis prioris, (de quibus verba feci) tempore cæcitatis Papalis conspiciendum se præbens, in domibus quibusdam certis versatus est. Et genium siue spiritum hunc nostrates Hollandi similesque lingua ipsorum de Goetelen appellabant. Comparere verò in equitis forma solebat. Quinetiam nonnulli tam valde mentibus erant excæcatis, vt sibi persuaderent, ædes ipsorum felicissimas esse; adeoque fortunatissimas ob id, quod spiritus istiusmodi in illis hospites secum perpetuos haberent, dicere non dubitarunt. PHILOMATHES. Verumenimuero, cum Diaboli propositum sit hoc vnum, vt nihil aliter

quam malefaciat; spiritus eiusmodi fuisse malos, ego quidem putare non possum. Quid enim mali in actis eorum fuisse dici possit? considerato, quod acta illa per eos ita commissa, forinsecus non nisi bona fuisse dicendum videatur. EPISTEMON. An vero sat mali non erat in eo, quod spiritus aliquis talis gestibus illiusmodi tã grauiter homines simplices deciperet falleretque, vt eum pro lucis angelo susciperent, quantumuis angelus tenebrarum pessimus esset; vtq; eum, qui inimicus & Dei & ipsorum verissime iuratissimus esset, pro amico & Dei & suo ipsorum singularissimo habere non dubitarent? Tantum igitur abest quod nos spiritum talem, spiritum bonũ fuisse, credere debeamus; vt econtra nobis, qui Christiani sumus, concludendum sit, quod, ex quo Dominus Christus in carne venit, & ecclesiam per Apostolos eius confirmauit; miracula, visa, vaticinia, apparitiones angelorum spirituumque bonorum plane cessarint. Ea

enim

enim omnia sementi fidei feliciter facienda, ecclesiaque fundandæ duntaxat inseruiebant. Quare cum ecclesia sat & erecta, & constabilita fuerit: equus etiam albus ille, de quo superius locutus sum, victoriam ipsi propositam ab hoste reportauerit: sanè legẽ, & prophetas ad seruiendũ Deo, & nos inculpatos cõstituendũ, sufficere patet. quod & Christus ipse in parabola, quam nobis de Lazaro paupere nec non epulone diuite proposuit, affirmare non dubitauit.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

Genus quoddam spirituũ, mortales sequi solitorum, singulare, quos Incubos & Succubos appellare solemus. Causa, propter quã spiritus iidem potius in Septẽtrionalibus Barbaricisq; mundi partibus, quam in aliis versentur.

PHILOMATHES. *Quæstio ꝓximè sequẽs, quã tibi ꝓponere volebã, si,*

militer genus, (quod de spiritibus vulgo quidem duplicibus, per te verò sub genus vnũ redactis, erat) primũ concernit; & est hæc. Latere te non potest, quod & scribatur & recenseatur, inter reliqua spirituum duplicium genera, personas quasdam certas sequentium, vnum cæteris omnibus multo longeq; monstrosius esse. perpenso, quod & cum viris & cum mulieribus, quos infestare solent coitu quodammodo naturali consuescant. Quod cum ita sit, inde est, quod super punctis duobus ad hãc rem pertinentibus opinionem tuam libentissimè audire vellem. Punctus prior est, vtrum conuersatio spirituum talium cum mortalibus possibilis sit nec ne. Posterior est, vtrum, si conuersatio talismodi possibilis sit, spirituum eorundem hic mas, ille fœmina videatur esse, vel non. EPISTEMON. Genus spirituum abominabile istud & viris & mulieribus abutentium, nominibus Incuborum & Succuborum, secũdum differentiam sexus masculini & fœmi-
nini,

nini cum quibus rem haberent, ab antiquis appellatum est. Abusus autem & virorum & mulierum per spiritus hos mediis duobus interuenientibus committi potuit. Horum prius est, quod Diaboli tanquam spiritus ingeniosissimi semen è cadauere viri mortui suffurati, mulieribus taliter instillarunt idipsum, vt eæ præter id quod sentirent aliquid, voluptatis ex eodem ne tantillum quidem percipere possent: prout virgines quasdam Vestales, quibus ratione hac abusi fuissent, quæque quod id in ipsas committi permisissent, flammis igneis exustæ fuere, confessas esse legimus. Posterius est, quod spiritus iidem callidissimi cadauera mortalium vita defunctorũ mutuati, cum mulieribus tam naturaliter consueuerunt, vt eæ sibi cum viris propriis rem habere viderentur. Vbi tamen notandum est, quod quomodocunq; Diaboli mulieres inierint: semen eorum intolerabiliter frigidum per easdem deprehensum sit. quod de semine hominis non modò mortui, sed & viuentis ad-

huc, si taliter ablatum & aliquo asportatum fuerit, accipiẽdum esse, dubium non est. Etenim si Diabolus naturam hominis viuẽtis adhuc furatus aliquopiam asportet, tunc ea tam subito tãq; festinanter auferri non potest, quin in via & calorem & vigorem simul amittat. Ambo enim hæc, præ defectu agitationis aut vibrationis mẽbri virilis, quæ tempore distributionis efficiens qualitatum harum vtrarumq; caloris, inquam, & vigoris seminalis esse consueuit, retinere non potuit. Iam, si corpora mortuorum spiritus id genus infernales induerint, & in illis, velut hospitiis aliquib. habitantes, semen ex iisdem tempore conueniente eiaculentur; necesse similiter est frigidũ vt sit, per qualitatum corporum mortuorum, è quib. frigidissimis expressum sit, participationẽ. Deinde, quod quæris, num spiritus hi partim masculini, partim fœminini sexus sint; de eo, sicut arbitror, per regulam philosophicam de contrariis, sat erudiri potueris. Re-

gula

gula namque facultatis philosophicæ certissima est, quod res nulla, quæ vna eademq; sit, partim in marem, partim in fœminam distribui possit. Corpora namque viuentia, si generare debeant, seminis naturalis adeptione peropus habent. Nos autem certo scimus, quod spiritus eiusmodi semen mulieribus ad generationem communicandum non habeant; & quod ne illi quidem ipsi semen pro se habeant, & sic inter ipsosmet alii alios generare non queant. PHILOMATHES. *Hoc siquidem sic est, qui fit igitur, quod aiãt plerique, spiritus eiusmodi mediantibus vel viris vel mulieribus monstra quædam producere solitos esse?* EPISTEMON. *Narrationes id genus præter fabulas aniles, nihil sunt. Ad id.n. faciendum. spiritus isti naturã propriam non habent inter illos ipsos, nedum vt cum mulieribus coeuntes mortalibus habere possint. Quod deinde semen corporis mortui frigidum ad generandum efficax non sit, hoc plus quam ma-*

nifestum est ex eo, quod prius quam essentiæ cuiquam viuenti communicetur, & per se & in se non minus, quam corpus eius reliquum, mortuum, calorem naturalem, operationesq; similes alias ad effectum talem producendum requisitas non habeat. Quanquam autem semen hoc ipsum, effectum talem producendi vi præditum esset (id quod tamen totaliter regulis naturalibus omnibus è diametro, & δὶς διὰ πασῶν contrariaretur) tamen non monstrum, sed fœtum naturalem producere deberet; qualem mas & fœmina ambo viuentes, & liberis operam dantes, producturi fuissent. Ad cacodæmones autem quod attinet, quoniam semen, quod mulieribus instillant, aut è cadaueribus absentibus attulerunt, aut è præsentibus expresserunt; itaque partes Diabolorum præter seminis eiusmodi allationem nulla aliæ ad generationem concurrere potuerunt. Equidem Satanam facere posse, vt mulieri, cum qua rem habuerit, venter intumescat,

mescat inficias non eo: quod id cùm per agitationem humoris seminalis, in muliere ipsa præsentis; tum per herbas singulares, quemadmodum quotidie mendicos nonnullos simile quid factitare videmus, efficere possit. Non etiam nego, quod, quum tempus, quo mulier paritura sit, appropinquauerit; Satan ipse facere possit, vt dolores parientium proprios experiatur; vtque ligna, lapides, aliave monstra, aliunde per ipsum asportata, loco fœtus naturalis ex vtero parientis in manus obstetricias sensim decidant; id quod tamen per alios qui id sibi coniecturando persuasere, potius narratur, quam per me verum esse putatur. PHILOMATHES. *Qua vero de causa fieri putas, quod genus illusionis Diabolicæ hoc in regionibus mundi feris & syluestribus istis, quales & Laponia & Finlandia sunt; vel in ditionib. etiam nostris aquilonaribus his Orcnaniæ * Scotiaeq; multo communius sit, quam in aliis terræ partibus?* EPISTEMON.

* ab hac f. Orcades, vel hæ ab illa.

Causa rei istius est hæc, quod, vbicunque Diabolus ignorantiam maximam barbaricamque conspicatur; ibidem illusionum eius semina quoque omnium crassissima spargere cõsueuit; quod è rationibus simul illis, quas (vt, cur mulieres multo plures, quam viri, artem Magicam exercerent, intelligeres) afferebam, perspicere potuisses.
PHILOMATHES. *An ergo tu mortalium quenquam tam infelicem inueniri posse reris, vt desiderio Satanæ in actione hac liberè assentiatur?*
EPISTEMON. *Quid ni rear? Præstigiatrices enim pleræque confessa sunt ipsæ, quod Diabolus eas eò commouisset insania, vt cum ipsis liberè consentientibus consuesceret; quod Satanam quidem fecisse dubium non est, vt mulieres istiusmodi tanto securius in laqueis eius retineret. Sed quemadmodum nos decet, vt reliqui veneficarum generis cuiuscunq; misereat nos, & ad Deum super eodem precemur: ita genus hoc extremè & persequẽdum*
& pu-

& puniendum est. PHILOMATHES. *Idipsum quod nos lingua nostra* Maren *appellitamus, & quod homines super lectis ipsorum cubantes inuadere consueuit, an de genere spirituum istorum, de quibus dialogismus inter nos est, tibi esse videtur?* EPISTEMON. *Licet malum hoc Medici incubum ab incubando nominarint; de genere tamen spirituum istorum, de quibus colloquimur, non est: sed ægritudo quædam naturalis est; crassum nempe phlegma, in pectore cordi per illapsum incubens interim, dum dormimus; quod spiritus nostros vitales adeo concludit constipatque, vt à nobis potentiam naturalem auferat, eo vsque, vt vel pondus quoddam non naturale, vel spiritus quidam malus nobis incubans, nosque deorsum premere nitens, esse videatur.*

CAP. IV.

ARGVMENTVM.

Deſcriptio per Dæmonia poſſeſſorum. Quibus rationibus Papiſtæ Dæmoniacos à ſpiritibus eos vexantibus liberare poſſe videantur.

PHILOMATHES. *Bene eſt. Ego tibi huc vſque omnia, de quib. dubitabam propoſui, tuq; mihi ad ſingula ſic reſpõdiſti, vt, quod ad priorem ſpirituum horum duplicium, quos tu tandem ſub genus vnum redegiſti, ſpeciem pertinet. deſiderio meo te ſatisfeciſſe confitear. Jam, quod genus ſpirituum talium poſtremum (loquor de ſpiritibus homines interius poſſidentibus) concernit, reſtant res tantummodo duæ, ſuper quibus ſententiam tuam audire percupio. Prior eſt, per quid Dæmoniacos ab illis, qui inſania furoreve naturali vexantur, diſcernere poſſimus. Poſterior eſt, quomodo Dæmoniacis iiſdem per eccleſiam Papiſticam*

cam

cam succurri possit. Etenim cum nos Papistas pro hæreticis habeamus; si Diabolos eos eiicere posse statueremus, dicendum videretur, credere nos, quod Diabolus vnus per alium eiici posset: qua tamen ratione sequeretur, vt Christi testante ipsomet, regnum eius erga se ipsum discors esset, ideoque non diu substaturum foret. Matt. 12. Marc. 3. EPISTEMON. *Ad quæstionem tuam priorem quod attinet, signa quædam diuersa sunt, per quæ Dæmoniaci veri ab aliis, qui naturalibus ægritudinibus vexantur, discerni queant: & quidem (si signa ista vana veritatisque inania, de quibus Papistæ nugantur; actus videlicet in rabiem patientis, ob aquam benedictam ipsi aspersam; fuga eiusdem, qua crucem auersetur; impatientia, qua idem nominis diuini pronunciationem recuset audire; aliæq. generis eiusdem nugæ ne pili quidem faciendæ, prætermittantur) tria. Ad quæ vt veniamus, arbitror ego primum ex illis esse, fortitudinem hominis per Dæmonem ma-*

lum possessi tam incredibilem, vt fortitudinem hominum aliorum, vel sex, eorundemq; grauissimorum furiosissimorumq; genere tamē mali huius non exagitatorum, longè vincat. Signum secundum est, pectoris patientis, item ventris intumefactio, pulsui nec non agitationi intra corpus non naturali, duritiei quoq; neruorum tam rigidæ, quam si ferri esset, coniuncta; ideoque tam magna & notabilis, vt cutis hominis alterius cuiuscunque in tantum extendi non posset. Tam potenter operatur Diabolus & in membris & in sensib. corporeis hominis illius, que possessum vexat, localiter hærens in ipso: imperium nihilominus in animam eiusdem obtinens non maius, quam in hominem quemuis alium ab eo non inuasum. Signum tertium & ita postremum, est idiomatum peregrinorum, (quæ patiens testimonio eorū omnium, quotquot cum eo versati fuere, nunquam didicit) prolatio, & ea quidem rara & quasi caua voce sic fieri solita,
vt toto

vt toto illo tempore, quo loquitur, motus aliquis maior in pectore quam in ore cernatur. Sed a signo hoc postremo excipiuntur ii, qui tempore toto illo, quo possessi sunt, sensibus omnibus destituuntur in tantum, vt iis vti non possint; inuasi nimirũ per spiritum quendã & mutũ & cæcũ: a cuius generis cacodæmone Christum hominem quendã quõdã liberasse Matthæus historiæ euangelicæ capite duodecimo scriptum reliquit. Iam, quod quæstionem tuam alterã concernit, primo ante omnia dubitandũ videtur, an vlli, qui religionis veræ professores nõ sunt, quenquam à molestatione spirituum malorum liberare possint: secũdo quærendũ, cuius rei respectu id illis, siquidẽ fiat, vt dæmoniacũ quendã pristinæ integritati restituãt, factu possibile fuerit. Ad quæstionẽ priorẽ quod attinet, ea sup rationib. duab. fundata est. Harũ prior est, quod cognitũ perspectumq; sit, sanationes dæmoniacorum per multos simulatas; temporibusq; superiorib.

per Dominos illos nostros spirituales ad cõfirmationem religionis eorum erroneæ in medium adductas fuisse. Posterior est, quod re ipsa nobis experiri liceat, paucos eorum, qui re ipsa vereque per cacodæmones intrinsecus occupati vnquam fuerint, plenè perfecteque per eos sanatos fuisse. Diabolus deinde non inuitus a læsione hominum corporali spatio temporis breuissimo se abstinet, vt inde animas quãplurimorum, qui per fictam hanc simulatamque liberationem in religionem falsam inducti, in eademque confirmati fuere, macerandi coquendique potestatem consequatur. id, quod Diabolum spectare solere, me tibi superius, cum de cura per incantationem læsorum beneficio incantatorum ipsorum procurata, locutus sum; dixisse meminisse potes. Nunc vt tibi de quæstione generis huius altera satisfaciam; quamuis Papistæ sanationem talem præstare possent, vt eos posse (pace tamen eorum, qui diuersum forte sentiant, statuant-

tuantq;) libentius affirmare, quam negare velim; narratione per viros religioni sanæ deditos, sanationesque tales per istos patratas esse oculis ipsorum propriis intuitos se fuisse dicentes, fide digna mihi facta cõmotus. Statuo tamen ego, quod factum id fuerit per istos ratione vel consideratione hac sequente. Christus discipulis eius mãdabat, vt cacodæmones ex hominibus eiicerent; simul id faciẽdi facultatem cõmunicans iisdẽ. Mandatũ istud discipuli executioni mãdarũt. Regulæ quas Christus circa eiectionẽ cacodæmonũ discipulis ei⁹ obseruãdas præscribebat, erant; ieiunarent & orarent: quod eiectio ipsa tantummodo nomine siue potentia eius (Christi nimirũ) vnius perficiẽda foret. Itaq; quod discipuli Christi Diabolos eiicere possent; id è virtute ipsorum propria nequaquã proueniebat; sed è facultate duntaxat eius vnius, qui ipsis, velut instrumentis externis, ad id exequendum vtebatur, nempe Christi: id quod luce vel meridiana

clarius in Iuda Christi proditore cōprobatum fuit; qui potestate in cōmissione cacodæmonū eiiciēdorum exequenda claruit non minore, quam apostolorum cæterorum quisquam. Quo sese sic habente, facile est, intelligere, quod eiectio Diabolorū ieiunationis & orationis siue diuini nominis inuocati virtute fiat; vt vt impotentiæ multæ sint in personis illis, quæ Dei velut instrumēta quæpiā sunt. quemadmodum Christus docet nos ipse, dicens; quod prophetæ quoque falsi potestatem eiiciendorum cacodæmonum essent habituri. Hac itaque rei præsentis consideratione facta, mirum non est, Papistis quoque ipsis eiectionem cacodæmonū possibilem esse, vt vt in multis diuersisque religionis capitibus errent, si formam illam, quā Christus in eiectionis eorundem actu diligenter præ oculis habēdam præscripsit, obseruent. Quid enim actio Papistarum hæc magis est mala propter id, quod in rebus aliis a scopo aberrent; quam baptismus eorū malus est ob id,

quod

quod de sacramento altero, nempe de cœna perperam sentiãt: tametsi baptismo cæremonias inanes & vanas, easque non paucas pro libitu ipsorum proprio addiderint? PHILOMATHES. *Miraculum profecto paruum non est, si Deus permittat, vt corpora fidelium vllorum ignominiæ subiiciantur adeo magnæ, vt spirituum immundorum habitacula fiant.* EPISTEMON. *Hoc scilicet argumentũ est illud, quod superius adducere debuissem, ad tibi demonstrandum, possibile esse, vt Diabolus in cadauera fidelium mortuorum ingressus cum mancipiis eius agere posset. Etenim si Satanæ diuinitus permittitur, vt in corpora fidelium animab. adhuc prædita & ita viuentia se velut insinuet; quãto magis permittit ei idem, vt in carnem ipsorum mortuam ingrediatur? quod caro mortua nõ amplius homo sed impurũ corruptioniq; obnoxiũ, hominis tabernaculum sit. Præterea, vt Christus nos docet, nõ quicquid ingreditur in ho-* Matt. 7.

minem, contaminat eundem, ſed quicquid egreditur ex ipſo, contaminat & polluit eundem.



CAPVT V.

ARGVMENTVM.

Deſcriptio generis ſpirituum malorum quarti, Eluen appellatorum. Quid huic ſpirituũ generi poſſibile ſit, & quatenus econtra mortales per eoſdem ludantur. Quatenus colloquium hoc ſeſe extendat, & in quem finem ſuſceptum ſit.

PHILOMATHES. *Nunc, vt ad quartum ſpirituum malorũ genus accedas, oro te rogoq́;.* EPISTEMON. *Genus ſpirituum malorum hoc quartum cum tota Dianæ aula, ſiue comitatu eius vniuerſo gentilibus* Dianæ; *nobis autem (prout tibi dixi) ſiue* Eluę *ſiue vicini noſtri boni, vocatum; genus illuſionis Diabolicæ tempore papatus abominabilis communiſſimũ fuit. Vt*

vt

vt enim odiosũ iudicetur esse per Diabolum prophetare, vel futura prædicere; eo tamen non obstãte, quotquot per genus spirituum malorum hoc ipsum abducebantur & instituebantur; hi p fortunatissimis adeoq; optimis viuẽtiũ reputabantur omnium. Hic ad fabulas multiplices, super illusionibus Diabolicis tãtummodo fundatas quod attinet: vtpote, quod Eluæ *& regem & reginã habuerint, in quorum aula suauitatib. apparatibusq; pomposis instructa* Eluę *ipsi inspectionem officiaq; alia habuerint, voluptatum plenissima, non aliter atque si ibi nihil occurreret, nisi quod bonũ & delectabile esset: & vbi iidem naturaliter loquerentur, graderentur; ederent, biberent; opera denique alia facerent talia, qualia & viri & fœmina naturales facere cõsueuerũt: omnia ego ista fabulamento de campis Virgilii Elysiis, ac rei cuiquam alii, quã hominem Christianũ veram esse credere oporteat, similiora esse duco; nisi fortassis, id, quod tibi temporib. diuersis*

antehac quoq; dixi, Diabolus sensus hominũ certorũ quorundã simplicium ludificatus persuaserit iisdẽ, vt se talia & videre & audire, quæ reipsa planè nõ essẽt, sibi psuaderet. PHILOM. *Qui vero fieri potuit, vt veneficæ quædã ad mortis suppliciũ abductæ confessæ fuerint, sese cum* Eluis *illis ad montẽ quẽdam, in quem sese aperientem ipsæ ingressæ viderint ibidem reginã quandã pulcherrimam, q̃ lætior aduẽtu ipsarũ facta, dederit eis lapidem quendã virtutib. diuersis præditum, quem temporib. diuersis in iudiciis aduersus eas institutis prolatũ ostenderint; asportatas fuisse?* EPISTEMON. *Hac ego de re perinde loquar atq; locutus sum superius, cum de ecstasi, siue emotione animæ humanæ è corpore eiusdem verba corã te feci. An.n. Diabolus phantasiæ mulierũ talium, sensib. ipsarũ stupefactis, & in somnũ quasi delatis, cum montes eiusmodi, tũ domos in quib. talia, qualia tu modo narrasti, cõspiciantur, obiicere nõ potest? vt mulierib. & per hæc*

& per

& per alia generis eiusdē ludibria fortiter illudat? An non etiam, dū corpora ipsarū sine sensu vllo sunt, Diabolus in manus earū siue lapidē, siue quid aliud indere, & vt mulieres sibi, se talia alibi accepisse ꝓsus imaginentur, efficere potest? PHILOMATHES. *Quid autē sentis de eo, quod mortem quorundam eorūdemq; non paucorū prædicere possint, quos in locis eiusmodi, de quibus mentionem feci, se vidisse confitentur? Illud certè somniū verū esse credendū est, q͂, vt dici consueuit, tanquā pedib. incedere conspicitur.* EPISTEMON. *Ego quidem persæpe mecum cogito, eas vel nō serio satis examinatas & exploratas fuisse, quæ ꝑ authorizanda prophetia ipsarum rationem adeo plūbeā & ineptā protulerint: vel, Diabolo non minus possibile fuisse, per mulieres tales prophetiZare, quando imaginationes ipsarū ita falleret, q̃ si expreßè aliâs ad eas loqueretur. Etenim prophetiZationes illarū fiunt tantūmodo per visiones, qua in re Diabolus vel Deū inepte vt simius imitari, vel more gentiū ipsarū,*

prout tibi ſuperius etiam dixi, repræſentare conſueuit. PHILOMATHES. *Iam libentiſſimè ſcire vellem, num ſpiritus huiuſmodi veneficis tantummodo ſagiſve, vel hominibus, præter illas, aliis apparere poſſint ſoleantve.* EPISTEMON. *Apparere ſolent & illis & his. Et craſſis quidem vel rudibus apparent, ſiue id faciant ad eos perterrendos, ſiue aliâs perſuadendos, vt credãt, eos genus hominum melius eſſe, quam ſpiritus immundi ſint: Incantatoribus verò apparent, vt iſtis quaſi color quidam ſecuritatis aduerſus magiſtratũ ſint; ne videlicet ille, præ ſimplicitate viros eos eſſe bonos opinatus, ad pœnas impietati ipſorum perſoluẽdas rapiat. Quemadmodũ verò nos decet, vt generis hominum illiꝰ miſereamur, quod inuitum & coactum per eos excruciatum fuit; ſic econtra officii noſtri eſt, procuremus, quo iſti, qui tam audaces fuerũt, vt per eos futura prædicere voluerint (per quod & hi ipſi à cæteris facile dignoſci poſſunt) pœnis eiſdem quibus*

bus Incantatores affici solent, afficiantur: imò, pœnis etiam maioribus, quod ficte rem tractent. PHILOMATHES. *Iam quid causatur, quod spiritus plerique nomina habeant præ reliquis & diuersa & multa?* EPISTEMON. *Malitia siue versutia Diaboli ipsius; qui, quemadmodum Necromanticos per nomina innumerabilia diuersa pro ipso proque coangelis ipsius ludere consueuit; ita quoque facit vt hi præstigiatores aut incantatores sibi persuadeant, Satanam, BeelZebubum, Luciferum spiritus tres diuersos esse; cum tamen nos inueniamus, duos primos istos, Satanam videlicet, atque BeelZebubum, nomina tãtummodo esse diuersa; principi angelorum rebellium omniũ vni per scripturam sacram assignata. prout per Christum princeps Diabolorũ BeelZebubus appellatus est, loco scripturæ illo, quem allegaui contra potestatẽ hæreticorum quorundam, se Diabolos ex hominib. eiicere posse iactantium. Per Iohannem in Apocalypsi eius, antiquus*

nec non experientissimus idem iste angelorum princeps appellatus est Satan. Iam, nomen postremum istud, Lucifer nimirum, magis per allegoriam siue modum loquendi figuratum est dictũ; sumpta occasione a Lucifero stella matutina, in locis scripturæ diuersis posita & vsurpata; quod vt illa stellis aliis splẽdore præcellat; ita Diabolorũ princeps in creatione eius & ante lapsum cæteris angelis pͨcelluit. Sic itaq; Diabolus imponit incantatoribus per hoc, quod iste sibimet ipse nomina attribuit diuersa, vt persuadeat istis, se pro specierum qualiumcunque, in quibus sese conspiciendum præbet, diuersitate, spiritum diuersum esse; cum tamen spiritus vnus & idem reuera sit. PHILOMATHES. Ego vero narrationes peregrinas & admirabiles multo plures de Eluis illis audiui, quam tu mihi dixisti. EPISTEMON. Ego quoque mi Philomathes, non minus quam tu; vt, quod & ad reliquum sermonem meum inter nos habitum attinet, multo plura

sci-

sciui; sic & audiui de singulis, quæ ppo-
sui, narrari, quam ego narraui. Causa
eius est, quod semper ad scopum collo-
quii nostri respexerim. Quia.n. fun-
damentũ siue caussa colloquii fuit orta
ex eo, quod tu, quando alter alteri ob-
uius est factus, quæsiuisti ex me, num
mihi verũ esse videretur, quod vulgo
diceretur, sagas esse: &, an sagæ potesta-
te vlla malè faciendi prædita essent: id-
circo discursum meum totum eo dun-
taxat institui, vt ostenderem, sagas esse
posse, facultatemq; plurima patrandi
habere: idq; per numerum argumento-
rum, sicut opinor, sufficientem, mon-
straui. Ea causa fuit, cur operã dede-
rim, ne dictionarium quasi conficiens,
narrarem omnia, quæcunq; vel legis-
sem, vel per alios ad propositum nostrũ
facientia dici percepissem. Et quod ea
fidem superatura, taliaq; futura fuis-
sent, vt, qui vel legissent vel audiuißẽt,
nos artem magicam illicitam istã potius
docere, quã deridere & condẽnare: id
quod posterius tamẽ facere officiũ Chri-
stiani esse, sibi persuaderent, reticui.

CAP. VI.

ARGVMENTVM.

Inquisitio vel examinatio Sagarum, & suppliciũ earundem. Qualiter inquisitio examinatiove talis erga illas instituenda videatur. Cur numerus earum temporibus postremis his adeo multiplicetur, & augeatur.

PHILOMATHES. *Nunc igitur, vt finem colloquio nostro imponamus, & hoc quidẽ ob id, quod serum fieri videam, quamnam pœnam veridicas has Sagas & Magos mereri putas? Video enim quod & has & illos eodem loco numeroque habens æquè culpabiles esse contendas.* EPISTEMON. *Supplicio mortis afficiendi sunt & Sagæ & Magi: idque secũdum præscriptum legis Dominicæ, secundum legem ciuilem & Cæsaream, secũdum legem denique populorum Christianorum propriam quorumcunque.* PHILOMATHES. *Quo verò mortis genere*

nere puniendi sint, vt exponas, oro te rogoque. EPISTEMON. *Mors eis plerumque per flammas ignis irrogatur. Sed res hæc adiaphora & media est; quod in terris quibuslibet secũdum legem & cõsuetudinem in eisdem consuetudine receptam morti deuoueantur.* PHILOMATHES. *An vero nihil, siue genus masculinum aut fœmininum; siue ætatem iuuenilem aut senilem; siue statum dignitatumve gradum, humilem aut sublimem spectare velimus, hic excipiendum esse censes?* EPISTEMON. *Plane nihil excipiendum censeo. Sic enim apud magistratum legitimum vsu receptum est, vt nihil excipiatur. Magia namque genus idolomaniæ summum est, quod quicunque commiserunt, secundum legem Domini sine exceptione vlla puniendi sunt omnes.* PHILOMATHES. *An igitur ne infantibus quidem parcendum esse reris?* EPISTEMON. *Parcendum verò reor infantibus vel maximè; conclusione mea*

præcedente ne tantillũ quidem obstante. Infantes enim rationis, rem Magicam in effectum producendi, capaces non sunt. Iam, quod ad sodalitium eorum cum Sagis attinet, licet idipsum quoque non detexerint, à culpa rei huius minorennitas & ignorãtia inscitiaque eorũ eos excusabit. PHILOMATHES. Video, quod cõdemnes etiam eos, quotquot consilium ab artis huius professorib. captare nõ verentur. EPISTEMON. Omnes vero. Nam, quemadmodum dicebã, cum de Magia siue vera prædicendi arte verba faciebam; sagarum cõsultores, fiduciam ipsorum in eis ponentes, & ii, qui oculis quasi clausis ad actiones ipsarũ cõniuent, qui eas sustentãt, receptant, qui alios ad artem hanc illegitimã exercendam excitant, incitant; ii omnes non minus culpabiles obnoxiiq; sunt, quã hi ipsi, quotquot artem eandẽ re ipsa exercẽt. PHILOMATHES. An igitur principi, vllive magistratui superiori, mortalium cuiquam arti huic dedito parcere, ad

eius-

einsq; scelera conniuere non licet. si per indicia sat magna ipsi allata, de sceleribus iisdem certior factus sit? EPISTEMON. *Princeps, vt & magistratus alius quiuis vnus, vt sese de re, ad ipsum delata, melius informet, ad tempus quoddam certũ, idq; tam longum, quam necessarium putauerit, officii executionẽ differre potest: finaliter vita præstigiatorum & incantatorum parcere, neq; verberare, quando Deus verberandũ esse dicit; & scelus odiosum hoc, ac præuaricationem hanc hominũ facinorosorum aduersus Deum impiissimã impunitã relinquere; id verò magistratui nõ modò permissum non est, sed & sine dubio quocunq; peccatũ in magistratu seculi præsentis nõ minus est, ac illud seculo præterito fuit in Saule; per quod Agago pepercit: quinimo non minus, quam peccatũ magiæ ipsius, quẽadmodum Samuel tẽpore illo defectionem à Deo Magiã esse dicere non dubitabat.* PHILOMATHES. *Equidẽ perspecto, quod flagitium hoc tam seuerè puniri oportet, cogito profectò, iudices teneri*

ad hoc, videant diligenter, ne alios vllos præter maleficii huius reos ad supplicium mortis designent: quodq; delatio loquax calumniatoris cuiusuis in re momenti tam magni locum habere non debeat, aut possit. EPISTEMON. *Sanè, ad officium iudicum vel maximè spectare notum est, videre diligenter etiam atque etiam, quemnam condemnent. Salomone namque dicente, peccatum nō minus est, innocentem damnare, quam nocentem relaxare. Hinc est, quod delatio per hominem infamem facta admittenda nō sit ad sufficienter probandum criminis huius reum quem esse. Id enim lex nulla permittit.* PHILOMATHES. *Quid igitur multitudo testimoniorū per accusatos contra sceleris huius accusatum prolatorum efficere potest?* EPISTEMON. *Video, quod consilium hac in re nostræ legis explicationem esse necessum sit. Meo tamen iudicio, quoniam in negotio proditionis aduersus principem instituta, pueri, mu-*

Prouerb. 17.

ri, mulieres, personæque infamissimæ omnium ad sufficientem testimonii perhibitionem idoneæ secundum leges nostras esse iudicantur: ego certè puto, quod ratione multo fortiore testimonia talium personarum sufficientia esse possint in negotio proditionis summæ, aduersus principem principũ omnium, nempe Deum ipsum, susceptæ, adeoque peractæ. Et quomodo testes contra Magos esse possunt alii, nisi qui Magi sint ipsi? PHILOMATHES. Ego sanè non dubito quicquam, sagas ad consilium ipsarum virum bonum & honore dignũ, per quem postea sagæ conuincerentur esse, non libenter adhibituras & admissuras. Quid interim fieret, si sagæ testificarẽtur, aliquas in conuẽtib. ipsarũ imaginariis secundũ animas, corporibus earundem tantisper sine sensu vllo iacentibus, prout tu fieri & solere & posse dixisti, adfuisse, quæ tamen non adfuissent? EPISTEMON. Arbitror ego sane tales, quæ sic abfuerint, ne tan-

to quidem innocentiores aliis iudicandas esse, quanti pilus esse possit; quod eas in conuentus eiusmodi celebrandos consensisse dubium non sit. Diabolus enim vmbram similitudinemve ipsarũ ad vsum illum commodato accepturus minime fuisset, nisi & ipsæ cæteris ad conuentum ituris assensæ fuissent. Iam, consensus & adsensus hac in re solus secundum legem morte plectendus est. PHILOMATHES. *Samuel ergo præstigiator erat? Diabolus enim similitudinem eius repræsentauit personamque agens eiusdem, per eandem Saulo respondit.* EPISTEMON. *Quia Samuel vitam cum morte commutarat iam tum, quando res illa designabatur; itaque nullus eo tempore illum criminari poterat, quasi eum ad artem illicitam istam quisquam mortalium sollicitasset. Etenim ratio, secundum quam ego indico, quod Deus Satanæ permittere non velit, vt temporibus impermissis illis gestu similitudineve hominis vllius inno-*

innocentis vtatur, est; quod Deus idem concedere non velit, vt persona vlla, quæ innocens sit, defectionis vllius ab ipso insimuletur. Aliàs enim Diabolus ad homines vel optimos omnium per mendacium grauandi rationes sat multas facillimè reperturus esset. Et hoc ipsum nobis demonstratum quidem est per eos, qui per Eluas *aliquo asportati, retulerunt, quod in aula regis & reginæ eorundem nunquam vmbram cuiusquam vidissent, nisi eorum earumve, qui quæve postea fratres & sorores eorum earumve, quotquot artem hanc exercerent, esse deprehenderentur. Idem quoque ancillæ cuiusdam iuuenculæ, per spiritus, quorum libidini per sagarum incantationes obnoxia facta fuerat, modis miris exagitatæ cõprobatũ fuit auctoritate. Ea enim quanquam formas & virorum & mulierum eam vexantium diuersas vidisset, viri quoque & mulieres isti & istæ, istos & istas nominasset, quorũ quarumque formam*

præ se ferrent: nulli tamen nullæq; eorum earumve, qui quæve se non se, sed alios vel alias esse finxissent, post in examine innocẽtes deprehensi deprehensæve fuerunt. Personarum namque talium pars maxima id confessa fuit ipsa. Præter idipsum cogito quoque, dici solere, rarò auditum esse, quod ulli ullos de artis huius cognitione accusassent, nisi eos, quos vel sodales siue cõmilitones ipsorum esse visu oculorum ipso, & non auditione famaq; tantum accepissent: vel eos etiam, quos, quanquam falsò de Magia accusati fuißẽt, deque ea conuinci nequiuissent; re tamen ipsa vitæ existimationisque malæ, & ita mortis supplicio dignos esse manifestè constaret. Tam Zelosus est, inquam, Deus aduersus istos, quos & magiæ & scelerum aliorum reos esse nouit. Præter hæc media sunt alia duo, quæ ad inquisitionem incantatorum rectè adhiberi queunt. Horum vnum est, inuentio siue deprehensio notæ, ipsis per Diabolum impressæ, & indolentia notæ

notæ eiuſdem, quantumuis grauiter & preſſæ & vellicatæ. Alterum eſt ipſorum ſuper aqua natatus. Quemadmodum enim in homicidio clam perpetrato fieri ſolet, vt, ſi cadauer tempore poſt vllo per latronem tangatur & vllatenus moueatur, ſanguis ex eodem quaſi profundatur, non aliter atque ſi cælum verſus vociferans vindictam aduerſus latronem petat à Deo; qui ſecretum hoc & ſupernaturale ſignum ordinauerit ad facinus latrocinii & clandeſtinum & inhumanum cōuincēdum: ſic Deus idem ſimiliter ſignum hoc ſupernaturale impietatis incantatorum monſtroſæ declarandæ ordinarit, quo aqua eos in ſinum recipere nolit; vt qui à ſe aquā baptiſmi ſanctam illam, pietatem abiurātes, velut abluerint; voluntateque ipſorum propria, eademque malitioſa, vtilitatem aquæ eiuſdem repudiarint. Quid? quod ex oculis Sagarum ne lachrymulam quidem vllam quocunque modo eas torqueas excruciesque, prius, quàm pœni-

tentes sint, profundere possint: eo non obstāte, quod sexus fœmininus in partem contrariam per se ipse occasione qualicunq; vel etiam leuissima ipsi oblata & data ad lachrymandum pronissimus sit. Quid? quod sexus idem occasionem lachrymandi ad instar aliquod crocodilorum sibi fingere norit ipse. Itaque quod flere non possint ante quam pœnitere eas maleficii cœperit, id inde est, quod Deus permittere nō velit, vt scelus earum per pertinacem in non confitēdo peruicaciam maneat indetectum, & ita deinceps impunitum. PHILOMATHES. *Bene loqueris, mi Epistemon. Et quia quamdiu tempus id permisit, inter nos collocuti sumus; igitur vt negotium propositum concludamus; quia veniam discedendi abs te petere constitui, rogo Deum ter optimum terque maximum, vt regionem hanc ab astutiis Diabolicis his purgare dignetur. Tanta enim copia abundantiaq; in harum terrarum tractibus quanta iam sunt, nunquā fuere.* EPISTEMON.

Deum

Deum eundem precor & ipse, vt id ita fiat. Causæ vero propter quas hominũ, vel monstrorum potius, talium copia tãta regiones hæ scateãt, nota sunt. Nã cùm malitia populi tã grandis, vt eam Deus præ iustitiæ eius magnitudine impunitam relinquere non possit; tum seculi consummatio, nostriq; liberatio; quæ vtraque quod appropinquarint, ideo fit, vt Diabolus tanto magis in instrumentis eius rabiem suam exerere nitatur: futurum sciens, vt regno eius propediem finis imponatur: defectionem hanc, qua mortales miserabiles isti à Deo ad Satanam deficiunt, causatur. Bene valebis mi Philomathes.

OBSERVATA QVÆDAM.

PAg. 5. v. 3. *lege* eosdemque, Diaboli mancipia, è medio tollendos. 18, 8,9. rationes docentes. 50, 20. multæ) 56, 16 peragrantes manebunt. 82. v. 25. Persuadeat, vt, queãdmodũ. 87. 10 sensus Magorũ disc.141.11.fideliũ. 152. 20 gẽtiũ.